# QUID COMICIS DEBUERIT LUCIANUS.

> *Μισαλαζὼν εἰμι καὶ μισογόης καὶ μισοψευδὴς καὶ μισότυφος καὶ φιλαληθὴς καὶ φιλόκαλος καὶ φιλαπλοϊκός.*
>
> (Piscator, 20.)

# THESIM

PROPONEBAT

FACULTATI LITTERARUM PARISIENSI

F. RABASTÉ,

IN RHEDONENSI LYCÆO PROFESSOR,

Scholæ Normalis olim alumnus.

RHEDONIBUS,

EX TYPIS CAR. OBERTHUR,

VIA IMPERIALI, 8.

—

1865.

# MEMORIÆ

PRÆSTANTISSIMI VIRI

# ARTAUD,

DE UNIVERSITATE ET GRÆCIS LITTERIS OPTIME MERITI,

HOC OPUSCULUM,

GRATISSIMI ANIMI DOCUMENTUM,

D. D. D.

# Quid Comicis debuerit Lucianus.

Μισαλαζών εἰμι καὶ μισογόης καὶ μισοψευδὴς καὶ μισότυφος καὶ φιλαληθὴς καὶ φιλόκαλος καὶ φιλαπλοϊκός.

(PISCATOR, 20.)

## PROŒMIUM.

........... Quidam comœdia nec-ne, poema
Esset, quæsivere :

hæc Flaccus (1) de comœdia, eadem fere Tullius (2); sed neuter alienam sententiam suam facere, quamvis eam Flaccus fusius copiosiusque explicet et defendere videatur, neuter comœdiam poema esse omnino negare audet. Plus audere quam doctissimi prudentissimique viri ausi sunt, ratio ipsa vetat : non vetat cum illis affirmare comœdiam quotidiano sermoni simillimam esse. Proinde cum ex omnibus poetis comici et proxime ad solutam orationem accedant et præterea dialogo utantur, nihil mirum si eos potissimum sibi proposuit imitandos quisquis soluta oratione dialogos scripsit. Videmus itaque Platonem (quanquam haud ignoro hujusce rei alias quoque causas afferri posse) multa magnaque ab Epicharmo mu-

(1) Satir. I, 4, 45.
(2) *Orator*, cap. 20.

tuatum esse (1); videmus eumdem, licet philosophiæ studiosissimum et amantissimum Socratis discipulum, Aristophanem acerrimum atque infensissimum tum philosophiæ, tum Socratis exagitatorem, adeo dilexisse et tanti fecisse ut eum præclaras partes agentem in suo *Symposio* induxerit, mortuum honorificentissimo epigrammate (2) ornaverit ejusque comœdias et aliis diligentissime commendaret et ipse usque ad supremum vitæ diem pia quadam assiduitate, quotiescumque recubaret, lecti pulvino supponere soleret. Nullus autem dialogorum scriptor, non ipse Plato, tantum comicis quantum Lucianus convenit : is enim eosdem fere, quos illi, deridet; eodem modo suæ ætatis mores depingit, eadem de Diis, de humana natura sentit, eadem de moribus præcipit, eamdem rerum dispositionem, idem genus dicendi affectat. Neque immerito aliquis dixit illum comicum scriptorem fuisse cui solum scena defuerit. Has ergo similitudines exsequi volumus et simul ostendere quomodo Lucianus, etiamsi veteres imitaretur alienisque vestigiis insisteret, tamen propriam naturam secutus fuerit et non pauca de suo extulerit.

---

(1) Diogenes Laertius 3, 9. Epicharmus ipse quasi divino spiritu instinctus quem successorem habiturus esset præsenserat gravissimisque et pulcherrimis verbis prædixerat :

ὡς δ'ἐγὼ δοκέω, δοκεῖ σαφὲς γὰρ ἅμμι τοῦθ', ὅτι
τῶν ἐμῶν μνάμα ποκ' ἐσσεῖται λόγων τούτων ἔτι.
Καὶ λαϐών τις αὐτὰ, περιδύσας τὸ μέτρον ὃ νῦν ἔχει,
εἶμα δοὺς και πορφύραν λόγοισι ποικίλαν καλᾶς,
δυσπάλαιστος ὢν τοὺς ἄλλους εὐπαλαίστους ἀποφανεῖ.

(2) Αἱ Χάριτες τέμενός τι λαϐεῖν ὅπερ οὐχι πεσεῖται
ζητοῦσαι, ψυχὴν εὗρον Ἀριστοφάνους.

# CAPUT I.

## Quos comici et Lucianus deriserint.

Lucianus, ut comici, omnes fere deridet; divites, pauperes, mendicos, reges, doctos, indoctos, poetas, rhetoras, philosophos et meretrices : si vivi defuerint, mortuos, si homines, Divos exagitat, neque unum tantum sed omnes, superos, marinos, inferos, neque Jovis fulmine, neque Neptuni tridente, neque Plutonis tribunali deterritus, atque ita sæpe, ita jocose, ita acriter insequitur ut inter ejus ridiculas personas (bona venia philosophorum dixerim) facile principem locum obtineant. Æquum est ergo ab iis incipere, de cæteris postea disseremus.

### § 1.

### DE DIIS.

Notum est illud nostratis Luciani : « Si Deus hominem ad suam imaginem finxit, nos par pari, et præclare quidem, retulimus; » nec minus vere quam ingeniose dictum. Sed homines non tam verecundi quam grati, illa simulacra quæ fabricati erant, paulo post ridere cœperunt. Antiquissime enim Dii poetis comicis copiosam et jocosam præbuerunt materiam. Hercules jam apud Epicharmum (1), famam habet voracitatis quam semel partam (jure (2) nec-

(1) Epicharm., Fragmenta, p. 9. (Polman Krusemann, Harlem, 1834.)

(2) Hæc potissimum ejus rei causa afferri posset : in Bœotia natus erat Hercules : nemo autem ignorat Bœotiam anguillis epulisque nobilem fuisse, et Bœotios non raro male audiisse quod gulæ indulgerent omniaque vel ipsum ingenium pinguia haberent. Vid. Meineck., Fragment. Comic. III, 125, 208, 223, 443, 444.

ne, parum id curo), nunquam amisit, fraterne tamen communicavit cum Neptuno (1), cum Mercurio (2), cum Baccho qui non ea contentus insuper et jactanctiæ et ignaviæ partes sibi vindicavit (3), paterne velut pretiosam hereditatem transmisit suis æmulatoribus et ut ita dicam filiis, Cynicis nempe qui illum suum ἀρχηγετὴν et Deum agnoscebant (4). Non multo reverentiora Iris audit quæ rebellis Pisthæteri lascivas minas tolerare cogitur (5); Vulcanus cui claudicatio exprobatur (6); et ipse Jupiter qui nunc Pluto (7) postponitur, nunc accusatur quod patrem (8) vinxerit, quod perjuros (9) negligat et innocuas quercus fulmine feriat.

Inde facile apparet antiquæ comœdiæ poetas, ab iis enim omnes hos locos sumsimus, nullum fere modum in Diis irridendis retinuisse. Nolim tamen eos impietatis accusare, quippe qui scribant ad jocandum neque ullum finem serium sibi proponant. Ut alios omittam, Aristophanes, quamvis in Diis irridendis prorsus ingenio indulgeat et omnes frenos animi lasciviæ remittat, adeo non religionem labefactare meditatur aut hostilem adversus Deos animum gerit, ut illos contra philosophos studiosissime, acerrime, aliquando nimis violenter defendat. Atque equidem illius fabulas quæ cum Deorum et imprimis Bacchi auspiciis agerentur, et Diis et Baccho maledicebant, cum illis festis

(1) Aristophan., Aves, 1563 (edit. Tauchnitz).
(2) Id. Pax, 362. — Plutus, 1120 et seq.
(3) Aristophan., Ranæ, 1-668.
(4) Lucianus, Lapithæ, 16.
(5) Aristoph., Aves, 1201-1255.
(6) Alcæus, Ganymedes, Frag. I (Meineck., II, 825).
(7) Aristoph., Plutus, 120-195.
(8) Id., Nubes, 905.
(9) Id., id., 396-404. Timocles, Ægyptii (Meineck., III, 590).

libenter contulerim quæ olim in sacra Christianorum æde tanta licentia lasciviaque celebrabantur. Finge tibi Mosem cornibus ornatum, Balaami asinam aures panno indutam et ad dextram Evangelii stantem, sacerdotes ter canentes *hi*, *han*, aut etiam vetera calceamenta in turibulo cremantes, edentes, potantes, saltantes : quid magis inverecundum et sacrilegum potest excogitari? Imprudenter tamen fecisset qui Mosi solemnia cornua eripere, asinam ad stabulum remittere, potores templo expellere voluisset. Omnium in se, credo, odium concitavisset quasi male curiosus, male superbus homo qui publicum gaudium calumniaretur et se unum plus quàm cæteros omnes, videre vellet. Num ideo credendum est illis temporibus spretam fuisse religionem? Minime; juvabat quidem ad breve et exiguum tempus genio indulgere festivisque et jocosis spectaculis animos recreare, sed quicumque serio neque per jocum vel minime Christianam fidem conabatur labefactare, is protinus lacessebatur, suas opiniònes retractare jubebatur, librum si quem condiderat, comburere, felix si ipse cum libro in ignem non injiceretur. Testis Berengerius, testis infelix Doletus. Jam vero populus nuper tam irrevecundus erga religionem et Deum, religionis et Dei hostes, hæreticos scilicet inexpiabili odio persequebatur, incredibili furore impugnabat, immani crudelitate interficiebat. Haud longe aliter Athenis se res habebant neque valde mirandum qui philosophos, aliquando etiam, si Diis placeret, poetas tragicos impietatis accusarent, propterea quod vel modestissimis et verecundissimis verbis adversus Deos disserebant aut disserere videbantur, eosdem maxima frequentia, maximo plausu, summis honoribus comœdias excepisse in quibus Dii ultima audirent, omnibus conviciis, omnibus opprobriis lacera-

rentur. Persona comica dabat infinitam poetæ licentiam; eum probe intelligebant spectatores nihil aliud velle quam et sibi et aliis risum movere. Verum si quis Deos serio aggrediebatur, eum serio et ipsi persequebantur; ostenderunt in Socrate, ostendissent et in Protagora, Anaxagora et Aristotele, nisi Anaxagoras a Pericle protectus fuisset, Protagoras et Aristoteles prudenter fugam cepissent.

Quod si ex antiqua et media ad novam comœdiam transimus, longe aliam faciem rerum videbimus poetasque inveniemus verbis verecundiores, re terribiliores. Non Deos anguillis (1) comparant, non accusant quod alant meretrices (2), sed Epicuri doctrinam secuti, aut omnino negant plerique Deos esse, aut, si sint, humana curare. Alii, ut duos tantum, principes quidem tertiæ comœdiæ, Philemona scilicet et Menandrum commemorem, Philemo modo aera Deum (3) agnoscit, modo Fatum (4); Menander nunc spiritum (5), nunc Conscientiam (6), nunc Fortunam (7), nunc Pecuniam (8), quæ quidem sola sceptrum non amisit, imo vero etiam nunc regnat et dominatur. At enim idem Menander non raro laudat divinam bonitatem et providentiam (9), Deos colendos neque eorum naturam inquirendam esse prædicat. Fateor equidem, sed quid mirum si cum in scenam varias inducat personas, varium quoque sermonem et cuique aptum accomoda-

(1) Aristoph., Lyco (Meineck., III, 80) — Eubulus (Meineck., III, 223-236).
(2) Aristoph., Pax, 850.
(3) Philemo, Meineck., IV, 31.
(4) Meineck., IV, 11.
(5) Meineck., IV, 72.
(6) Monosticha, 597.
(7) Meineck., IV, 151, 212, 213.
(8) Meineck., IV, 233, 234.
(9) Meineck., IV, [illegible], 119, 238, 248, 249. — Monosticha, 474.

tumque tribuit (1)? Illud certe contendo, si summam rerum consideraveris, facile tibi compertum iri eum serio jocari quatenus ipsa comœdiæ natura patiatur, serio Deos aggredi, nullum serio numen nisi Fortunam agnoscere; quod vere dignum est Epicuri discipulo. Non jam inter se pugnant comœdia et philosophia, odium et arma deposuerunt pacemque inierunt, sed non sine magno Deorum detrimento.

Hereditatem a comicis relictam adeo non dissipavit et prodegit Lucianus ut contra valde auxerit et amplificaverit. Etenim etiam cum vulgaria illa et comicis trita crimina resumit et retractat, quod Dii humanis vitiis laborent, quod unus gulæ, alius furto aut mollitiæ indulgeat, acutius ridicula deprehendit, copiosius recenset, mordacius perstringit. Præterea multo plures personas in scenam traducit, multa nova fingit crimina, scilicet quod omnia venalia habeant, quod inter se altercentur (2), quod tanto sint numero ut jam nectar et ambrosia deesse cœperint (3), denique quod tot et tantis tamque variis implicentur negotiis ut illorum felicissimus maximusque homine omnium animalium miserrimo sese miseriorem vocare non dubitet (4). Itaque jamdiu labefactatam Deorum auctoritatem prorsus evertit, et quod Titanes Gigantesque immani corpore, vastis viribus, montibusque super montes congestis, efficere non potuerant, id homunculus nullo telo nisi ratione et calamo usus, non minus feliciter quam facile

(1) Id vel ex uno exemplo facillime apparebit : in una eademque fabula Menandri duæ sententiæ de Diis quam maxime adversæ explicantur. Ἐπιτρέποντες, Fragment. I, 4. (Mein., IV, 119-120.)

(2) Dialog. Deor., 5.

(3) Concilium Deorum.

(4) Bis accusatus, 1-4. — Jupiter confutatus, 19.

effecit, superosque ex Olympo ita deturbavit ut ne decem quidem Julianorum ope illuc restitui possent.

Ob illud autem multi vehementissime Lucianum increpuerunt : inter quos Baylius; quæ res sane eo mirabilior videri potest quod non fere minus quam Lucianus religionem negligebat. Si ergo, cum ad inferos descendit, Lucianum vidit, videre autem debuit quum proxime illum non collocari non potuerit, facile crediderim Lucianum in hunc fere modum cum eo collocutum esse. « Non satis mirari possum, Bayli, quod te inimicissimum inveni quem propter naturæ, studiorum sententiarumque congruentiam mihi amicissimum esse decuit, quod philosophum philosophus, σκεπτικὸν σκεπτικὸς, φιλαληθῆ φιλαληθὴς, atrocissime impugnasti. Possem haud ægre in me conjecta tela tibi remittere, possem a te quærere qui tam vehementer mihi irasceris quod falsam religionem, falsa numina insectatus sum, num semper vero Deo (verum autem esse ignorare non poteras), veræ religioni peperceris. Sed hæc omitto, ne te accusare potius quam me defendere videar. Rem ipsam aggredior et quoniam me gravissime reprehendisti quod Deos ex Olympo dejecerim, id libenter scire velim, quem tandem illorum dejectum nolles : Jovem-ne? Sed quis nescit eum patri regnum eripuisse? (multo enim graviora referre possim) : qui ergo jure queri possit si regnum male partum male amisit? Bacchum? Sed quis non Deum dico, sed hominem tam vinolentiæ deditum, tam luxu diffluentem, tam deliciis effeminatum toleraret? Mercurium? Venerem? Sed quis talem servum, talem conjugem habere vellet? Jam vero ut quisque vitium quoddam peculiare quasi proprio jure sibi vindicat, ita illud habent commune quod omnes pariter amori indulgent. Amare fortasse concedi poterat juvenibus, pulchris et iis qui neque fide conjugii neque

rerum publicarum aut famæ cura retineantur : amet Mars, quoniam ita se mores habent etiam apud Deos, amet Apollo, amet Venus; sed quid quod vetula Cybele Attim (1) disperit; quod Polyphemus (2) turpi facie, uno oculo, horrida barba, inculta et terribili voce ridiculos amores Galateæ suspirat, quod casta (3) Diana quæ a Calisto parum voluntarii peccati, ab Actæone imprudentiæ gravissimas pœnas repetierat, ita Endymionem arsit ut eum de terris tolleret et in Latmi antro sibi seponeret? Quid quod Jupiter hominumque Deumque et pater et rex, sceptri majestate neglecta, humanarumque divinarumque rerum cura omissa, conjugii fide violata, omnes vel ridiculissimas formas induit, omnem potentiam, omnem operam, omne tempus ad id unum videtur impendere ut mulieres fallat, decipiat et ludificetur?

Jam vero non solum nihil injusti sed etiam nihil mali a me passi sunt Dii, nihil habent quod de me querantur. Ut singulos fere enumerem, quid de me queratur Vulcanus? Haud adeo magnum ex divinitate fructum percipiebat; quamvis non mediocriter Diis, tum ut faber, tum ut pincerna prodesset, ab omnibus tamen ob claudicationem deridebatur et præsertim ab ipso claudicationis auctore; Ganymedem (4) et sibi et matri suæ a Jove præponi videbat, denique ejus egregia (5) conjux non minus in officio quam ipse in incessu claudicabat. Cæterum ita sæpe de cœlo in terras iter facere solebat ut quum in æternum deturbatus fuit, delabi, credo, non dejici, descendere non

(1) Dialog. D., XII.
(2) Dialog. D. Marin., 1.
(3) Dialog. D., 11.
(4) Dialog. D., V.
(5) Dialog. D., XII, 2. — XV, 3, 17.

decidere sibi videretur. Quid Hercules? Non tanti divinos honores faciebat ut Parcis servire (1) vellet. Crede mihi aut ipsi saltem, libens et lætus ex Olympo decessit, si modo speravit se sacrilegos, vellent nollent-ve Parcæ, ulturum, perjuros oppressurum et impios interfecturum esse. Quid Apollo? Potuit aliquando requiescere, cum tandiu ita fuisset (2) occupatus ut ne scalpere quidem aurem illi vacaret. Non jam opus fuit simul et currum per auras regere et ægris medicinam præbere et consultantibus oracula reddere, idque eadem una hora in diversissimis locis, Delphis scilicet, Colophone, Clari, Deli, apud Xanthum, apud Branchidas et omnino ubicumque aliqua vates e sacro fonte hauriens, laurum arripiens tripodaque agitans adesse juberet; non jam sagacissimæ naris eguit qua Lydi hominis insidias subodoraretur. Alterum invenire potuit Admetum cujus oves pasceret, alios pastores quos fistula canere doceret et humanitate quadam excoleret; potuit et plura et meliora in homines beneficia conferre quam cum vanas consultantium mentes vanioribus responsis eluderet. Quid Mercurius? Jamdudum dolebat quod multis occupationibus distineretur, quod duobus dominis iisque severis serviret et si paulo in ministeriis tardiorem se præberet, plagas (3) acciperet. Jam Aristophanis temporibus paratus erat melli, placentis, victimarum armis Olympum postponere et a Diis ad homines transfugere (4) : primusque in ore habuit illam postea decantatam sæpissime sententiam : « Ubi bene, ibi patria. » (5) Itaque

(1) Jupiter Tragœdus, 32.
(2) Bis accusatus, 1.
(3) Charon, 2.
(4) Aristophan., Plutus, 1123 et seq.
(5) Aristophan., Plutus, 1151.

lætissimus cœlum reliquit, si modo in terris bene comedere, bene potare potuit. Potuit autem : ridiculus enim fuisset si cum admodum juvenis tantam in lucta, tantam in musice, tantam in furto peritiam adhibuisset, cum tot et tam varias artes alios doceret, Mercaturam, Eloquentiam, Palæstram, Versutiam, sibi soli non fuisset sapiens aut ea quæ ad vitam necessaria sunt, comparare nequivisset. Quid Jupiter? Cum divinitate omnes curas, omnes sollicitudines amisit, non jam multa mala poetis et philosophis imprecatus est quod solos Deos esse felices prædicarent, non jam doluit quod uno eodemque tempore ubique adesse, omnia audire cogeretur, quod ceterorum Deorum opera inspicere necesse haberet, ne quis remissius munere fungeretur (1).

Itaque primum quod Deos ex Olympo dejeci, nihil illis immerito accidere poterat; deinde quod obsoletis honoribus, crasso pinguedinis fumo eoque jamdudum raro privavi, non multum potuerunt dolere; quod autem tot et tantis molestiis liberavi, lætari valde debuerunt. Noli autem credere me falsa commentitiaque adversus Deos crimina finxisse ut genio indulgerem et eos facilius condemnarem. Nulla fere de meo protuli, multa a poetis et vulgi opinionibus sumpsi, plura fortasse sumere potuissem. Nunc ergo obsecro, num ego sum culpandus si (2) Hesiodus falso canit Jovem patris pudenda secuisse, si Homerus mentitur eumdem cum sorore rem habuisse, Dianam minima de causa iratam multa horrendaque mala Œnei et Ætoliæ immisisse, aliaque talia quæ, non solum Diis sed etiam hominibus multam afferrent ignominiam? Num

(1) Bis accusatus, 2.
(2) De Sacrificiis, 1-5.

ego lapidibus obruendus sum, si miror quo (1) jure quisque populus hunc aut illum Deum quasi proprium et peculiarem sibi vindicet, qua causa impulsi Praxiteles, Phidias et Polycletus (ubi enim Deos viderint, ab illis libenter scire velim) nobis effingant Jovem semper barbatum, Apollinem semper imberbem, Mercurium semper pubescentem, cur Neptuno cæruleam comam, Minervæ cæsios oculos tribuant? Num execratione dignus, si irascor Scythas (2), alias victimas aspernatos, homines immolare, si ridiculas Ægyptiorum cærimonias et portentosa numina illudo? Quam mihi posco veniam, ea multis aliis ante data est. An potuit philosophorum princeps, Plato, poetas e republica sua expellere, quod multa de diis falsa indignaque prædicarent vulgique animis pravas opiniones insererent, ego non potero eorum fabulosas narrationes insectari, absurda commenta exagitare? »

Ad hoc quid Baylius respondere posset, non satis video; sed illud crimen difficilius purgaret Lucianus quod et verum Deum insectatur, neque solum falsa numina superstitionemque sed etiam omnem providentiam, omnem religionem omnino tollit, quod animorum immortalitatem pro nihilo ducit omnesque de altera post mortem vita sermones anilibus fabellis contemptim annumerat. Haud equidem ignoro hæc omnia illum jocose disserere et tum n *Jove confutato*, tum in *Jove tragœdo* (sic enim inscribuntur dialogi quibus Providentiam maxime oppugnat) ad Deorum quales poetæ et vulgi opiniones fingebant, conditionem et auctoritatem deridendam potius quam ad Epicuri doctrinam serio confirmandam incumbere. Fatendum

(1) De Sacrif., 11.
(2) De Sacrif., 13.

est tamen aliquid serium joco subesse : sæpius enim et acrius adversus divinam libertatem felicitatemque quasi instructa acie decertavit, studiosius et disertius omnia argumenta labefactavit quibus plerumque quamdam esse Providentiam demonstratur, quam ut ad speciem et pompam ludicra jactavisse arma, neque ad veritatem et periculum infesta exseruisse dicas, aut nihil ultra risum, nihil ultra jocum quæsivisse videatur.

## § 2.

### DE PHILOSOPHIS.

Jam ab initio rei scenicæ philosophos non multo minus quam Deos irriserunt comici poetæ, sed ita (quod nemini mirum videri potest) ut eorum potius mores et vitam quam doctrinam exagitarent. Quod subtiliter (1), quod loquaciter (2) dicant, eos reprehendunt; quod sint avari (3), fures, injusti aliosque injustitiam doceant (4), quod juventutem corrumpant (5), quod in dictis factisque parum sibi constent (6), quod voluptati et pecuniæ serviant (7), aut contra quod inutiliter et ridicule cœlestia curantes terrestria negligant (8).

Hic autem non minus et plus etiam quam in Diis tres comœdiæ inter se differunt. Antiqua enim (ut satis apparet

(1) Aristoph., Nubes, 95, 96, 330, 627, 795. — Ranæ, 1490. — Cf. Meineck., III, 64.

(2) Meineck., II, 553. — III, 468.

(3) Aristoph., Nubes, 98, 179. — Meineck., II, 552.

(4) Aristoph., Nubes, 99 et passim.

(5) Meineck., II, 1149.

(6) Meineck., IV, 465.

(7) Meineck., III, 332.

(8) Meineck., II, 460, 553. — III, 394, 451, 452.

e fabulis Aristophanis qui inter veteres ejusdem ætatis poetas facillime princeps existimari potest) omnes philosophos, nullo discrimine habito eumque potissimum quem minime decebat, Socratem impugnat; eis ante omnia objicit quod civitatis mores in deterius mutare, quod antiquam disciplinam, antiquam religionem pervertere conentur nec tantum ridicula sed etiam reipublicæ funesta moliantur. Longe autem aliter media comœdia : quæ dum gulæ delicias laudat (quid enim magis spectatoribus placere poterat qui comedendo, potando, omnibus corporis voluptatibus indulgendo, amissæ libertatis dignitatisque memoriam obruere quasi dedita opera studebant?) non jam philosophos ut publicos hostes insectatur; quin etiam eos multo minus quam piscium mercatores (1) curat, aut si quando curare dignatur, mollem delicatumque Aristippum (2) semel tantum et leviter attingit, frugalem autem et severum Pythagoram (3) et crebro et vehementer irridet ejusque victus simplicitatem ita parum probat aut intelligit ut eam vix sinceram fuisse arbitretur. Jam vero Pythagoricum Platonem (4) exagitat quod sciat solum tristis esse velut cochlea graviter supercilium tollens, quod de incertissimo quodam (5) bono disserat et de immortalitate animorum nugetur (6). Proinde philosophos minus odisse quam contemnere media comœdia videtur. Unus tantum poeta, semel tantum, antiquæ comœdiæ odio quasi impulsus Demetrio gratulatur quod ex Attica philo-

(1) Meineck., III, 391, 413, 621.
(2) Alexis, Meineck., III, 400. Vide tamen, III, 332. — III, 17.
(3) Aristoph., Meineck., III, 360, 361, 362, 376, 474, 483.
(4) Amphis, Dexidemides, Meineck., III, 305.
(5) Amphis, Amphicrates, Meineck., III, 302. — Cf., III, 453.
(6) Alexis, Olympiodor., Meineck., III, 455.

sophos ejecerit (1). Sed si rem attente consideraveris, hunc ipsum e pristina severitate multum remisisse facile invenies : non tam grave exilio quam morte mulctari.

Non minus nova a media, quam hæc ab antiqua, comœdia differt. Objicit quidem et ipsa philosophis trita illa vulgataque crimina, quod in dictis factisque parum sibi constent (2), et hæc magis nova, quod stulte sapientes divitiis virtutem anteponant (3) et quod, dum parce frugaliterque vivant, non minorem et Diis et civitati quam sibimetipsis injuriam faciant (4). Sed si universa intuitus eris reputaverisque quam raro, quam leviter philosophos perstringat, ex hostili minus quam ex amica manu emissa esse tela senties, intelligesque jam comicos philosophia esse imbutos, non optima illa quidem sed mollissima et comœdiæ accommodatissima. Quis enim neget Menandrum et alios esse vere Epicureos, quum Epicurum (5) laudent, quum eadem quæ Epicurus de Diis, de Providentia, de Fortuna et Fato sentiant, quum eadem de moribus præcipiant (6), eamdem vitæ rationem prædicent, idem etiam dicendi genus consectentur? Itaque ut antiqui comici philosophiam oderant, medii spernebant, sic novi diligunt et amplectuntur.

Quod si nunc ad Lucianum venimus, primo aspectu non facile apparet quid in deridendis philosophis cum comicis commune habuerit. Comici philosophis impietatem expro-

(1) Alexis, Eques, Meineck., III, 421.

(2) Bato, Meineck., IV, 502, 503, 504.

(3) Theognetus, Meineck., IV, 549.

(4) Bato, ~~Ætolus, Meineck., IV, 499~~ Mein IV, Homicid., 499, 500.

(5) Hegesip., Philetæri, Meineck., IV, 481. — Menand. Epigramm., Meineck., IV, 335.

(6) Meineck., IV, 441, 442, 530, 532.

brant, Lucianus credulitatem et superstitionem (1); illi frugalitatem, tristitiam, victus simplicitatem, hic mollitiam, voracitatem (2), mulierum et puerorum amorem (3); in illis nullum fere verbum de Stoicis reperitur; hic Cynicos et Stoicos potissimum insectatur. Adde quod illi philosophorum mores tantum, hic et doctrinam exagitat. Hæc autem omnia minime mira tibi videbuntur, si consideraveris Lucianum comicosque in diversa ætate vixisse et in diverso opere elaborasse. Præterea non raro cum illis congruit, ut cum philosophos incusat quod in oratione vitaque secum discordent (4), quod de subtilibus rebus, nihil ad communem usum pertinentibus, nihil ad emendandos mores valentibus disputent (5); deinde, et id fortasse maximum, in hoc tertiæ comœdiæ poetis valde similis est, quod reipsa minus est σκεπτικὸς quam videtur, et eamdem plane philosophiam quam illi amplexatur.

Haud equidem ignoro quam sæpe, quam acriter irrideat Pythagoræ numeros, aureum femur, silentium et insolentem victum; Platonis fictam rempublicam, de communitate mulierum concubitus præcepta, de amore puerorum sermones et inanem verborum pompam, Cynicorum baculum, barbam atque impudentiam, Aristippi mollitiem, Stoicorum subtilitatem, Peripateticorum abstrusas quæstiones, Pyrrhonis lancem æternamque dubitationem. Cum nulli omnino philosopho, nulli disciplinæ parcat, qui tandem philosophus esse potest? Respondere posset se non veros sed falsos insectari philosophos, et illud reipsa respondit adeo-

(1) Philopseudes.
(2) Nigrin., Lapithæ, Gallus, etc.
(3) Fugitivi, Dialogi meretric. Lapith.
(4) Hermotim. Nigrin. Lapith. Icaromenip. Fugitiv., etc.
(5) Hermotim., 81. — Dialog. Mortuor., I, 2. — Vitarum auctio, 21-26.

que feliciter apud ipsos philosophos accusantes se defendit ut non solum dimissus sed etiam laudatus fuerit. At enim ipse Lucianus et accusationem et defensionem et absolutionem suo arbitrio finxit : esto, in *Piscatore* parum sincerus fuit et veritati minus quam causæ utilitati consuluit; in *Nigrino* autem quid eum cogebat ut philosophiam summis laudibus extolleret? Quid in *Cynico?* Quid in *Cataplo* (1)? Quid in *Alexandri* (2), in *Demonactis vita?*

Quod si quæris cui potissimum sectæ adhæresceret, nulla præter ceteras delectabatur,

*Nullius addictus jurare in verba magistri*,

nullam disciplinam elegerat, in qua, ut ita dicam, habitaret, sed ab omnibus quidquid judicabat optimum, assumebat. Videtur tamen ad id inclinavisse ut Epicuream cogitandi rationem, Cynicam vivendi viam sequeretur. Etenim cum ceteros philosophos omnibus fere locis et omni modo exagitet, Epicureos aut levissime aut ne minime quidem attingit. Nullum omnino de Epicureis verbum in *Mortuorum dialogis*, nullum in *Philopseude;* in *Vitarum auctione*, *Piscatore*, *Lapithis* punguntur quidem sed sine acrimonia et gravitate, et quasi dicis causa. Quid quod in *Alexandri* (3) *vita* de Epicuro magnificentissime loquitur, unum omnium veritatem rerum perspexisse prædicat et de humano genere bene meritum esse quod ex animis falsas opiniones, vanos terrores avulserit, mentesque horrendis visis et monstris liberaverit? Quod totum ipsum de *Alexandri vita* libellum ob nihil aliud se scripsisse apertissime declarat quam ut Epicurum ulcisceretur, virum vere sacrum, ut ipse vocat,

(1) 24.
(2) 60.
(3) 60.

solumque qui vera et viderit et tradiderit discipulosque in libertatem vindicaverit?

Cynicos vero, ut sæpius quam Epicureos, ita minus sæpe quam alios insectatur : hoc primum : deinde non veros et antiquos aggreditur Cynicos, sed recentes et falsos, qui quidem satis superque copiosam, ut infra videbimus, risui et indignationi materiam præbebant. At Lucianum Cynicis favisse, vel ex hoc uno clarissime apparet quod semper Cynico cuidam præclarissimas partes in dialogis assignat. Quis enim divites, molles, formosos, tyrannos, philosophos deridet? Menippus, Diogenes, et Antisthenes, omnes Cynici. Quis inducitur et in vita et post mortem beatissimus? Sutor Micyllus, qui re quamvis non specie Cynicus est et perfectissimus quidem, quippe qui non ipse id sciret et Cynicorum simplicitatem frugalitatemque imitatus, insolentiam et jactantiam repudiaret. Quis in cœlo eamdem quam in inferis Menippus, in terris Diogenes, personam agit? Momus scilicet : is autem ita tum ceteros Deos, tum Jovem exagitàt ut sub ejus divinitate Cynicum (1) latere facile agnoscas. Atque, ne forte existimes Lucianum in Cynicis solam dicendi ridendique libertatem tantum admirari, totum libellum composuit in quo Cynicorum habitum victumque laudat quod nobilibus exemplis comprobetur, homines faciat adversus temporum varietatem et aeris inclementiam fortissimos et in divinam providentiam facillimos gratissimosque reddat ab omnibusque luxuriæ malis vindicet. Quid multa? suam ipsius imaginem sub nomine et persona *Demonactis* videtur expressisse : vide enim quot et quanta habeant communia. Ambo eadem de animorum immortalitate et inferis sentiunt (2), ambo vitæ

(1) Vid. Icaromenipp., 31.
(2) Demonact. vita, 32.

dolores et calamitates æquo animo perferendas prædicant (1), ambo vatum prædicta (2), magorum (3) jactantiam superstitionemque omnis generis pariter insectantur; ambo denique (et illud maxime attendendum) nullam deligunt disciplinam cui uni sese applicent, imo vero ex omnibus quasi florem delibant, et cum Cynicorum quorumdam impudentiam, gloriæ amorem, victusque nimiam insolentiam gravissime vituperent (4), ad Cynicorum tamen disciplinam libentius inclinant : unum tantum interest quod Demonacti, Socratis, Luciano Epicuri dogmata magis arrident (5).

Summa igitur injuria Lucianum accusares quod omnem philosophiam penitus evertere molitus fuerit : fatendum tamen illum spectativam philosophiæ partem parvi fecisse, quasi nihil ad mores corrigendos valeret, nihil ad recte beateque vivendum conferret, nihil ipsis doctoribus ad virtutem prodesset. Vituperandus sane quod res natura copulatas opinionis errore et temeritate quadam sejunxit : laudandus vero quod dictis facta, ingenio, doctrinæ et studiis probitatem, abstinentiam temperantiamque anteposuit. Quid enim prodest rerum universitatem contemplari, totius mundi vim perspicere nisi animo fias excelsior atque erectior? Quid de virtute gravissimis, splendissimis ornatissimisque verbis disserere, si eam factis prodas? Quid animi libidines pertubationesque acute definire, eleganter describere, diligenter persequi, si nihil e temeritate, nihil ex inconstantia, nihil ex injustitia detrahas?

(1) Demonact. vita, 9. Cf., 20.
(2) Demonact. vita, 37.
(3) Demonact. vita, 23.
(4) Demonact. vita, 48.
(5) Demonact. vita, 5.

Ista ratione insipientes, aut si vis, stulti (Stoicorum pace dixerim) sapientibus et doctis longe præstarent. Restat illud considerandum quatenus peccet Lucianus, qui cum mores virtutemque mordicus teneat, ea parvi faciat initia a quibus omnia bene vivendi præcepta repetenda sunt, et quodammodo arborem evertat cujus vel maxime fructus servare cupiat. Si presse et subtiliter cum illo agere volueris, nullo modo excusandus; sin autem, ut aiunt, crassa et pingui Minerva, non adeo graviter reprehendendus tibi videbitur. Etenim longe est alia vivendi artis ratio atque aliarum artium quæ reconditiore scientia et abstrusioribus studiis continentur. Astrologo de astrologia, mathematico de mathematicis aliquid affirmanti facile credam, etiamsi solus suam defendat sententiam et omnes imperiti acerrime repugnent: de moribus autem ne Platoni quidem semper assentiar, cum a vulgo discrepabit. Neque hæc ita dico ut nunquam etiam de moribus unus vera dicere et cæteri errare possint. Illud tantum contendo hoc rarius evenire (quo quidem optatius nihil fieri potest) et proinde facilius eum excusari posse qui non ad accuratiorem exquisitioremque doctrinam sed ad popularem famam vulgique consuetudinem sua de moribus præcepta accommodaverit.

## § III.

### DE RHETORIBUS.

Antiqua comœdia, quum nullis legibus respublicas negligere juberetur, non poterat quin et sæpissime et vehementissime rhetoras aggrederetur, quippe qui plurimum auctoritate valerent et populum quo vellent, non semper sine magno civitatis detrimento, vi eloquentiæ impellerent.

Itaque eos etiam acrius quam philosophos et Deos insectatur accusatque quod mali sint et fallaci oratione, privatæ utilitatis causa, multitudinem decipiant. Hoc in uno fere argumento versatur Aristophanis fabula quæ *Equites* inscribitur, nec poeta ridet, non jocatur, sed irascitur, indignatur, non leviter et remisse plebicolam Cleonem lacessit sed intente et atrociter insectatur.

Longe aliter media comœdia : jocosius (1) quam gravius agit : rhetorum gulam, avaritiam (2), dicendi (3) genus levissime perstringit, facta minus fere quam orationem, in oratione autem minus sententias quam verba reprehendit. Nova comœdia omnino rhetoras negligit nisi quod et amice et rhetorice eos hortatur, si causas obtinere velint, probitatis quamdam speciem præ se ferant (4).

Lucianus in exagitandis rhetoribus, tum novam mediamque comœdiam, tum antiquam imitatus est : mediam et novam sequitur cum eos morsiunculis universos pungit accusatque quod longioribus exordiis utantur (5), eo præclarius egisse sibi videantur quo violentius inclamaverint (6), quod semper in iisdem locis se jactent atque efferant, Marathona, Salamina semper in ore habeant (7); sequitur antiquam Aristophaneamque exprimit acerbitatem

(1) Alexis, Ponticus, Meineck., III, 473 :

> ὑπὲρ πάτρας μὲν πᾶς τις ἀποθνήσκειν θέλει
> ὑπὲρ δε μήτρας Καλλιμέδων ὁ Κάραβος
> ἐφθῆς ἴσως προσεῖτ' ἂν ἄλλως ἀποθανεῖν. — Cf., III, 602.

(2) Timocles, Meineck., III, 591.

(3) Meineck., III, 92, 342, 385, 478, 598.

(4) *Id.* IV, 454.

(5) Timon, 37.

(6) *Id.* 11.

(7) Rhetorum præcept., 16, 17, 18.

et acrimoniam, quum eos singillatim et fere nominatim exagitat reprehenditque quod omnium vitiorum flagitiorumque principes sint, et perfectum perfectæ vanitatis, jactantiæ, improbitatisque præbeant exemplum, quod nulli doctrina instructi, nullis ornati studiis, nulla secum viatica nisi ignorantiam et impudentiam afferentes, eloquentiæ iter ingrediantur; quod nullam in excogitandis rebus, nullam in disponendis, nullam in eloquendis operam impendant, nullam in agendo modestiam verecundiamque adhibeant, quod mollitiem quamdam incessus, oris totiusque corporis præ se ferant multaque et faciant et patiantur quæ vel memorare nefas sit (1).

Num inde colligendum est Lucianum et eloquentiæ et rhetoribus omnino infensum fuisse? Minime, meo quidem judicio. Corruptam et adulteratam (2) eloquentiam exagitat, veram autem et simplicem miratur et diligit, recentes et vitiosos rhetoras insectatur, antiquos autem veneratur et observat. At enim ipsum Demosthenem παρῴδησεν (3), reipublicæ inutilem, ignavum, κάθαρμα et barbarum vocavit (4). Sed quis non videt illum lusu quodam ingenii hæc scripsisse? Si credis serio, crede igitur ista ratione Parasitos et Luciani et comicorum judicio omnium doctissimos, sapientissimos, felicissimos esse. Præterea Demosthenis *Encomium* satis aperte declarat quanti Lucianus faceret præclarum illum oratorem quem ipsi Homero anteponere non dubitat. Atque etiamsi hoc opusculum genuinum non sit (quod equidem haud nimis repugnanter concesserim) illud tamen teneri et defendi potest tanto amore anti-

(1) Rhetor. præcept.

(2) *Id.* 10 et passim.

(3) Jupit. tragœd., 14, 43. — Bis accusat., 26, 31.

(4) Parasit., 40, 43.

quos rhetoras quanto odio recentes Lucianum prosecutum esse. Quid enim et sæpissime et acerrime æqualibus exprobrat? Illud scilicet quod antiquam simplicitatem austeritatemque respuant, recentes fucos et ineptias consectentur, quod Platonem et Demosthenem negligant quorum vestigia sequi multæ operæ et multi laboris sit, novis autem quibusdam auctoribus ducibus se totos tradant, a quibus brevi et facili via ad eloquentiam se ductum iri sperent.

## § 4.

### DE MERETRICIBUS.

Omnes fere Græci poetæ, excepto tamen maximo eorum, Homero, de feminis maledixerunt, etiam tragici, Euripides maxime, qui nonnunquam tragœdiam minus quam satiram adversus feminas scribere videtur. Nihil ergo mirum si comici quoque omnibus feminis omnia crimina intentant eosque qui feminis indigne serviant, stulte credant, infeliciter conjungantur, graviter reprehendunt, jocose derident, benigne miserantur. Nullam libentius materiam retractant, nullam perseverantius, nullam copiosius, nullam asperius et jocosius : quumque de ceteris rebus discrepent tres comœdiæ, in hac una fere optime inter se congruunt, præterquam quod antiqua mulieres legitimas potissimum, media meretrices et acerrime quidem, nova utrasque pariter lacessit. Illud autem mirabile quod Lucianus, cum tam studiose comicos imitetur, omnes et omnia derideat, solis feminis parcit, legitimas (1) dico mulieres : cujus rei quæ sit causa minus video, nisi quod fortasse

(1) Una tantum excepta, Chariclea scilicet (Toxaris, 13-17) quæ et ipsa, quamvis viro justis nuptiis conjuncta, meretricibus annumerari potest.

parum mulierosus erat Lucianus, et illi soli simulant se valde mulieres odisse qui eos maxime amant. Quoquo modo se res habet, solas meretrices in scenam inducit neque eas proprias sed totas fere alienas, sicut et gloriosos milites quos meretricibus adjungit. Timocles poeta Myrtalen sibi vindicare possit quæ amatorem pauperem non sine probris et contumelia e foribus excludit (1); Menander jactantem Leontichum qui terribilia et incredibilia sua facinora narrans amicam fugat, et, dum eam revocat, fateri cogitur se nihil omnino veri dixisse (2), aut magnum illum Ætolum e cujus amore nihil nisi plagæ et lites redit (3), aut Polemonem cui Philostratus amicam eripit eumque ob jactantiam lepidissime irridet. Multo plures personas vindicare possent comici si illorum operibus ætas pepercisset : vindicarent Glycerium (4) quæ a Gorgona subreptum fuisse amicum queritur, superstitiosam Melittam quæ carminibus magicis Charinum revocare (5) tentat, Myrtium quæ omnes adhibet (6) machinas, cœlum ac terram miscet ut Pamphilum a matrimonio deterreat, ingeniosam et fortem Chrysidem (7) quæ Ampelidi non mediocriter repugnanti persuadere conatur amatorum zelotypiam excitandam esse eosque solos bene amare qui bene verberent, denique matres Philinnæ, Musarii et Corinnæ quæ filias artem meretriciam docere non erubescunt (8). Illud unum fortasse Luciani vere proprium est

(1) Meineck., III, 607.
(2) *Id.* IV, 168, 200, 277.
(3) *Id.* IV, 186.
(4) Dialog. meretr., 1.
(5) *Id.* 4.
(6) *Id.* 2.
(7) *Id.* 8.
(8) *Id.* 3, 6, 7.

quod Droson fingit multa maledicentem Diotimo philosopho et multa mala precantem quod ab ipsa juvenem Cliniam abstraxerit (1).

Neque tantum res sed etiam dicendi genus tum aliorum comicorum, tum Menandri, imitatus est Lucianus qui in his dialogis, etiam in quinto cujus impurissimum est argumentum, sermonis quamdam verecundiam et modestiam usurpat subtilitatemque et elegantiam potius quam vim et vehementiam consectatur: Menandrum aut Menandri imitatorem, Terentium, tibi legere videris.

At enim, si comici a Luciano et sententias et orationis formam repetere possunt, quid ergo illi relinquetur? Una tantum virtus sed ea neque contemnenda neque vulgaris : scilicet tanta arte imitatur ut nulla fere imitationis significatio appareat; tam vere depingit meretricum mores, studia, amorem aut verum et gratuitum, aut falsum et venalem, zelotypiam, varias artes quibus amicos aut allicere aut retinere possint, ut nullos auctores sed naturam ipsam et vitæ exemplar respicere videatur; ita proprium et accommodatum cuique personæ sermonem tribuit ut non libros sed suam ipsius prudentiam sequi; ita scite et perite dialogos tractat quasi parvas fabulas in quibus nihil deest, neque procemium neque nodus neque exitus, ut eos composuisse posse, etiamsi nullas comicorum fabulas in manibus habuisset; ita facile et feliciter omnes dicendi virtutes assequitur ut eas non ab aliis expressisse sed ex se ipso extulisse. Proinde sic aliena imitari pene difficilius nec minus gloriosum quam nova invenire : quam rem posteritatis judicium quasi comprobavit et confirmavit. Illis enim Luciani picturis nihil post tot secula de veritate, nihil de splen-

(1) Dialog. meretr. 10.

dore detraxit ætas : imo vero haud parum auctoritatis vetustas ipsa illis addidit : idque effecit Lucianus, dum vera potius quam nova lectoribus proponere volebat, ut non suæ tantum ætatis sed omnium temporum mores fideliter depinxisse videatur. Itaque nulla ejus opera et vulgo imperitisque et prudentibus doctisque vehementius probantur, nulla cum majore voluptate et delectatione leguntur.

## § 5.

### DE POETIS.

Scitum est illud Hesiodi : *poetæ poetam invidere*; de nullis autem poetis verius quam de comicis, qui et quasi civile inter se et externum cum tragicis et epicis bellum fere semper gesserunt. Quæ comici adversus comicos dixerunt, omnino negligam, quoniam Lucianus comicos nusquam lacessivit, et primum de tragicis agam. Hic autem eamdem fere quam alias differentiam inter tres comœdias reperiemus. Antiqua duplici via tragicos aggreditur, dum et eorum aut unum alterumque versum aut personas totasque fabulas παρῳδεῖ, et (id autem quam sæpe, quam ridicule faciat, omnes noverunt, neque necesse ullum afferre exemplum) et ipsos insectatur, ipsos in scenam deridendos traducit. Hoc autem in loco posteriore sæpius habitat et immoratur, in hoc libentius se jactat, hunc copiosius explicat. Euripides quidem reprehenditur a Platone ob (1) σιγματισμόν, ab Aristophane propter argutum, subtile, sententiosum dicendi genus ; sed multo crebrius, multo acrius exagitatur, quod civitatis mores corrumpat, antiquas opiniones ex animis evellat, novas inserat, molles et ignavos et fortibus et in-

(1) Meineck., III, 218.

trepidis Athenienses reddat, dum adulteras mulieres personas de diis impie disserentes, reges in scenam inducit (1). Uno verbo tum alii, tum præsertim Aristophanes in Euripide minus malum poetam quam malum civem, minus tragicum quam Socratis discipulum amicumque impugnant.

Longe aliter media comœdia : παρωδεῖ quidem et ipsa tragicorum aut versus, aut personas totasque (2) fabulas, eorum orationem, longas circumlocutiones (3) deridet, in Euripidem Platonicum (4) σιγματισμόν crimen renovat; sed nusquam eos ut malos cives et reipublicæ funestos insectatur. Quid quod in diis mollius et remissius agit, tragicos minus quam tragœdiam lacessit? Ut quum Antiphanes Molierio præiens tragœdiam multo faciliorem scriptu quam comœdiam esse contendit (5); vides pristinum odium jam deferbuisse : mox autem omnino etiam extinguetur, et Timocles tragœdiam summis laudibus extollet quod ad vitam recte beateque degendam et ad mala, calamitates, humanosque casus fortiter tolerandos non mediocre adjumentum afferat (6).

Nova comœdia nusquam aut fere nusquam tragicis maledicit : qui autem aliter fieri poterat? Tragœdia enim qualem Euripides (7) fecerat, arctissima quadam affinitate

(1) Vide præsertim Ran. Acharn. Thesmoph.

(2) Bacchæ, Eumenides, Helena, Medea, Orestes, Persæ, Philoctetes, Phœnissæ, Septem adversus Thebas.

(3) Antiphanes, Ἄγροικος, Meineck., III, 3.

(4) Eubulus, Dionysius, Meineck., III, 218.

(5) Antiphanes, Poesis, Meineck., III, 105, 106.

(6) Timocles, Dionysiaz, Meineck., III, 592, 593.

(7) Cf. Quintil., X, 1, 69. Hunc (Euripidem) et admiratus maxime est, ut sæpe testatur, et secutus, quanquam in opere diverso, Menander. Cf. etiam Φιλευριπίδης Axionici, Meineck., III, 531, 532.

cum comœdia cohærebat : proinde omne inter illas certamen fraterni, ut ita dicam, belli speciem præ se tulisset. In utraque nempe occurrunt eædem fere de Diis, de natura humana, eædem de moribus sententiæ, eadem de rebus seu adversis seu secundis æquo animo ferendis præcepta: utramque e philosophia pendere facile agnoscas: utraque idem fere dicendi genus, tenue scilicet et pedestre affectat.

Lucianus hoc quoque ut cetera comicorum imitatus, poetas et ipse sollicitat : sed nihil comicis, nihil fere tragicis maledicit, Æschylum et Sophoclem plane silentio præterit; Euripidem παρῳδεῖ quidem in *Jove tragœdo* sed potius ut bonum Jovem irrideat quam ut poetam : iterum non raro illius sententias laudat. Cujus rei hæc causa afferri potest quod, ut supra diximus, Euripides comicis et proinde ipsi Luciano mire congruit. Epicos autem quos raro ipsos et leviter comici perstrinxerant, Lucianus crebro et aspere insectatur. Neque enim solum eos παρῳδεῖ (1), sed accusat quod secum ipsi dissideant, multa et magna polliceantur, pauca et parva præstent, inani jactantia sese (2) efferant, quidquid in mentem occurrat, effundant ut versus conficiatur, quod veris fabulosa anteponant, portenta fingant, ad voluptatem tantum neque ad utilitatem legentium spectent (3), denique (et id frequentissimum acerbissimumque crimen) quod indigna et ridicula de Diis tradant et animos vulgi falsis opinionibus impleant, vanis terroribus perturbent (4). Atque sic omnes fere Homeri et Hesiodi fabulas exagitat. Neque tamen utriusque ingenium

(1) Charon, 7, 8, et passim.
(2) Disput. cum Hesiod.
(3) Jupit. tragœd.
(4) De sacrif. 1-10, de luctu 1-10, Saturn. 5-7, Dialog. Deor. 21, etc.

et suaviloquentiam non miratur; utrumque ebibit, utriusque versus ut valde probandos sæpissime affert. Sed eos veritatis perspiciendæ vitæque degendæ gravissimos locupletissimosque auctores haberi cum Platone indignatur. Itaque non multum erraret qui contenderet illum in irridendis epicis rerum copiam a philosophia, orationis formam et festivitatem a comœdia sumsisse. Quanquam notandum in hoc Lucianum comicis esse similem quod si non tragicos, tragœdiam, si non recta, obliqua via perstringit. Apud eum tragœdiæ nomen in deterrimam trahitur partem : idem fere valet ac simulatio, vanitas et mendacium. Τραγῳδεῖν, ἐπιτραγῳδεῖν dicitur, quisquis falso, vane, turgide eloquitur, et rursus quidquid verum est et simplex, ἀτραγῴδητον vocatur. Hinc Lucianus e comicis totus fere pendet neque indignum aut degenerem sese successorem præbet.

## § 6.

### DE PRIVATIS INIMICIS.

*Genus irritabile vatum*, si Flacco credimus : cur autem non credamus poetæ de poetis dicenti, præsertim quum ipse semel dicta suo exemplo comprobaverit? Nulli vero irritabiliores poetæ quam ii qui aut satiras aut comœdias scribunt : vide quomodo Lycamben, Neobulamque et Bupalum Archilochus, Cleonem Aristophanes habuerit. Atque hoc quoque nomine comicis Lucianus jure ac merito comparari potest. Nemo enim unquam fuit iracundior, nemo ulciscendi occasionem aut studiosius quæsivit, aut oblatam avidius arripuit aut atrocius abusus est. Quod Alexandrum capitali odio insectatur omnibusque opprobriis et contumeliis onerat, non valde succenseo, quoniam Alexander Lu-

cianum interficere tentaverat. Sed illa minus tolerabilia : nescio quis dives libros gravatur commodare : extemplo Lucianus famosum componit libellum (1) in quo illum malo tibicini, malo gubernatori, malo poetæ, malo medico, malo tonsori, et quum mali homines defuerunt, turpibus bestiis, simiæ, asino porcoque comparat, accusatque quod emendis libris principis gratiam sibi quærere et morum infamiam obruere conetur. Rursus, Timarcho cuidam accidit ut unam Luciani vocem, Ἀποφράδα scilicet, reprehendat : illico Lucianus gravissimas ab eo repetit (2) pœnas, eum atrocissime insectatur, indoctum vocat, impurum, delirum, mendacem, perjurum, carcerem, crucem, barathrum, mœchum, adulterum, cinædum et pathicum : vide quam grave sit vel levissime grammaticum lædere! Jam vero quid peccaverat Pollux aut alius, quisquis fuit, quem sub nomine *Rhetorum præceptoris* tam acerbe insequitur accusatque (eadem fere semper inimicis crimina intentat) quod aleo sit, ebriosus, lascivus, adulter, pathicus, et alia quæ vel memorare pudeat (3).

Imitatus est Aristophanem Lucianus : scio equidem, sed primum nolim omnia in ipso Aristophane excusare : deinde qui alium imitatur, virtutes exprimere, vitia negligere debet; denique Aristophanes non levissimis, ut Lucianus, sed gravissimis causis impulsus Cleonem ceterosque oratores exagitabat : dolebat scilicet quod male rempublicam gererent, quod bellum in quo se aliquid facere posse sperarent, paci anteponerent in qua se nullos fore plane intelgerent, quod ad privatam solum utilitatem spectarent, neque publicam respicerent. Non easdem causas sui pur-

(1) Adversus indoctum.
(2) Pseudolog.
(3) Rhet. præcept.

gandi causa Lucianus afferre posset, et merito reprehendendus est quod tantum in vituperando abusus est ingenio.

Abusus est quoque in laudando : quod prima specie mirum videri poterit, facilem tamen habet intellectum. Est enim ejusdem temeritatis levitatisque et optima maximaque (non jam de Timarcho et Polluce, sed de philosophia et religione dico) insectari, carpere, irridere, et pessima vilissimaque commendare, prædicare, summisque laudibus efferre. Multa istius modi exempla nobis offerunt comici quos semper in omni re sequitur Lucianus, præsertim mediæ comœdiæ auctores. Ut cetera omittam, quoties Parasitos Parasiticamque artem magnificentissimis verbis ornarunt atque celebrarunt! Audi Antiphanem (1) : Parasitus omnibus vitiis caret, omnibus virtutibus abundat; omnium felicissimus est, exceptis tamen divitibus, quippe qui omni cura, omni molestia vacet, et ejus maximus sit labor ludere, suave ridere, in aliquem jocari et multum bibere; audi Diodorum (2): Ars Parasitica ab ipsis Diis descendit, quum cæteræ omnes ab hominibus inventæ fuerint; dolendum est tantum quod Parasiti quidam, tam pulchro nomine indigni, præclarissimæ artis dignitatem turpissima adulatione corrumpant; audi Timoclem (3) : nefarium est Parasito maledicere : quis enim Parasito utilior? quis facilius et libentius ad domini alentis sensus, cupiditates, dicta et facta sese flectit et accommodat? Quanti autem Parasiti fiant, vel ex hoc uno satis apparet quod eamdem mercedem accipiunt quam qui Olympia vicerunt, cibaria scilicet : cum autem alieno sumptu vivant, nonne in eadem causa sunt atque si in Prytaneo alantur?

(1) Meineck., III, 45, 79.

(2) Meineick., III, 543 — 545.

(3) Meineck., III, 594, 595.

Lucianus hanc hæreditatis partem adeo non repudiavit ut totum libellum in laudandis Parasitis Parasiticaque arte consumpserit. Demonstrat maximo strictorum pressorumque argumentorum apparatu Parasiticam non solum artem esse, sed etiam omnium longe optimam et præstantissimam, sive ejus vel ipsum nomen consideraveris, sive perpenderis quam facile discatur, quam jucunde exerceatur, quot utilitates fructusque afferat, nullo incommodo, nullo labore adjuncto, quam præclaro fonte oriatur, amicitia nempe; sive eam comparaveris cum philosophia et rhetorica quæ cæterarum artium facile principes omnium judicio existimantur. Primum enim de rhetorica et philosophia, sintne, an non, dubitatur; Parasiticam artem esse quis neget, quum tam pingues eos reddat qui illam colunt? Deinde Parasiticam philosophiæ et rhetoricæ antecellere, id maximo est argumento quod multi e philosophia et rhetorica ad Parasiticam, nemo unquam e Parasitica ad illas transfugit. Præterea philosophi rhetoresque bello inutiles reperiuntur, Parasiti autem domi militiæque vel ad speciem vel ad utilitatem non mediocriter prosunt et eos præsertim adjuvant a quibus aluntur. Jam vero omnium beatissimi, ne divitibus quidem exceptis, et vivunt et moriuntur. Ita Parasitos prædicat Lucianus plus etiam quam comici, et eum libenter reprehendam quod tam levi et vanæ causæ tantam vim dicendi, tantum ingenii acumen, tantam disputandi subtilitatem impendit, nisi pudeat serio reprehendere quod non serio scribere potuit, quum longe aliam sententiam in illo libello defendat qui de *Mercede conductis* inscribitur. Hoc tamen habet mali ista temere laudandi consuetudo, quod acuta magis et ingeniosa quam vera simpliciaque invenire assuefacit; inde accidit ut postea, si quando aliquem aut aliquid serio nec per jocum laudare velimus, ad

priorem scribendi morem nescio quo modo imprudenter delabamur. Quod quidem ipsius Luciani exemplo comprobatum est : etenim quum Pantheæ formam et mores conatus est laudare, ita omnem fidem, omnem modum excessit, ut ipsa sibi, neque immerito quidem, irrisa potius quam laudata videretur. Proinde, ut alias, hic quoque philosophia et rhetorica inter se concordant et, ut ita dicam, una voce jubent scriptorem nihil eloqui nisi quod sentiat, sentire nihil nisi quod verum sit.

---

## CAPUT II.

### Quam suæ ætatis morum imaginem Lucianus expresserit.

---

Comicorum lectio iis utilissima est qui cujusque ætatis mores perspicere cupiunt, et sæpe melius quam ipsi historici nos edocet quibus occultis causis maximæ res effectæ fuerint, quæ virtutes, quæ vitia, quæ studia cujusque præclarissimi viri fuerint, quam quisque populus quotidianam et agendi et loquendi consuetudinem habuerit. Non solum Thucydides et Xenophon sed etiam Aristophanes adeundus est, si intelligere cur Peloponnesiacum bellum inceptum, cur interruptum, cur renovatum fuerit, qui et quales viri Athenas cum Lacedæmone contulerint; si mulierum libidines, studia et dolos, si Atheniensis populi φιλοδικίαν, judiciorum rationem et alia talia cognoscere volueris. Hic autem brevius etiam quam alias agam, et rem levissime attingam : primum, quia si singula diligenter persequi

vellem, totus liber et longissimus quidem efficeretur; deinde, quod ea potissimum, quæ inter comicos et Lucianum communia sunt, demonstranda suscepi: quo autem verius suam ætatem depinxit Lucianus, eo magis, ut par erat, a comicis recedit qui multo ante vivebant. Itaque vix uno verbo commemorare possum quam abjecte, quam adulatorie avidi homines Luciani tempore testamenta captarent (1), quas aliis insidias struerent, quam ridicule deciperentur, et suis retibus ipsi se implicarent, quam negligenter provinciæ (2) administrarentur, quam male (3) jus diceretur, sed silentio nequeo præterire quæ de divitum superbia et pauperum humilitate, quæ de amore gloriæ, de superstitione dixit Lucianus, cum hæc vitia et creberrime et acerrime exagitaverit, si modo ostendere volo eum in scriptis quasi in quodam speculo suam ætatem intuendam lectoribus proposuisse.

## § 1.

### DE DIVITUM SUPERBIA ET PAUPERUM HUMILITATE.

Semper quidem divites ad superbiam, pauperes ad humilitatem adulationemque, nunquam autem fortasse tam impudènter quam Luciani temporibus, delapsi sunt. Adi *Nigrinum*, adi *Cynicum*, *Saturnalia* et præsertim de *Mercede conductis*, videbisque quo superbiæ et insolentiæ divites prorumperent. Immanem, ut ita dicam, luxuriam affectant in vestimentis, balneis, epulis et etiam in sepulturis, aliena loquuntur voce, alienis pedibus ambulant, alienis oculis vident. Temporum, regionum rationem per-

(1) *Dialog. Mort.*, 5, 10. — Cf. *Timon*, 22. — *Rhetorum Præcept.*
(2) *Lucius*, 16.
(3) *Alexand.*, 57.

turbant: de se actum esse clament nisi æstate nivem bibant, hyeme rosam odorentur, in Italia Numidiæ aut Phasidis aves comedant. Quantam autem importunitatem et inhumanitatem adversus pauperes adhibent! Malunt corrumpi frumentum, tineis vestes rodi quam egenis dare : raro inopes ad cœnam invitant, et etiam tum superbe et indigne tractant, dum nihil illis nisi ossa, reliquias, et acidum vinum apponendum curant. Quid ergo mirum si Lucianus in quem non sæpe cadit eloquentia, eloquenter divitum insolentiam exagitat? facit indignatio eloquentiam. Pauperibus quoque et merito quidem succenset. Cur enim tantopere divitum domos, villas, argenteis pedibus mensas, vestes, argentum, aurum, signa, tabulas mirantur? Cur ipsos magnificis invectos quadrigis, magna clientium turba stipatos inspiciunt et sicut Deos venerantur? Hæc est causa, neque alia, cur divites se conditionem humanam excedere arbitrentur. Quod si saltem solum ab imperitorum vulgo indoctorumque ita colerentur et observarentur, non tantam fortasse arrogantiam, non tantos fastus susciperent. Nunc autem homines docti, omnibusque liberalibus studiis ornati, poetæ ipsique philosophi (quo quid turpius intolerabiliusque excogitari potest?) ad humillimam servitutem flagitiosissimamque adulationem descendunt. Clare et vehementer describit Lucianus primum quam difficile in divitum domum accipiantur, quam multa abjecte, indigne facere et pati necesse habeant, quot contumeliæ devorandæ sint; deinde, cum accepti fuerint, quot incommoda, quot labores tolerent. Quid autem pro libertate, pro dignitate, pro valetudine accipiunt? Pecuniam? Datur quidem sed multo minus quam impendunt. Gratiam et auctoritatem? A saltatoribus, scurris, Ægyptiis præstigiatoribus se facillime superari vident. Si ridere volunt, procacitatis, si serii esse,

tristitiæ crimen subeunt. Cibum potumque sufficientem? Ne id quidem. Scelesti ministri qui omnes herorum voluntates optime intelligunt et se excelsiores fieri arbitrantur, si alios deprimant, misero philosopho nihil nisi ossa et nasturtium apponunt, usitatum illud quasi consolandi causa jocose et contumeliose addentes : « noster enim es. » Nunc tandem ille quantum peccaverit sentit, sed sero. Cum senio, laboribus et morbis corpus sit fractum, ad quid se convertet, quam artem poterit exercere? Præstat ergo manere quam alibi novam aleam subire : sed ne manere quidem diu licebit; dominus, ubi eum intelligit prorsus inutilem factum fuisse, minimam arripiens causam, infelicem philosophum e domo præcipitem ejicit. Hic dramati finis imponitur, ut ait Lucianus.

Multa omisi eaque atrocissima : sed e paucis, quæ commemoravi, satis apparet divites et pauperes, tempore Luciani, se homines esse quasi oblitos fuisse, dum illi superbia immani se efferebant, hi autem omnino suam abjiciebant dignitatem et fere bestiarum instar se haberi patiebantur. Correxitne utrosque ad meliorem frugem Lucianus? Major erat corruptio morum ut coerceri, violentior torrens ut retineri posset : laudandus tamen quod saltem tentavit et egregium opus aggressus est; laudandus quod litteratos homines vehementer hortatus est ut libertatem, ut dignitatem tuerentur neque pulcherrimam artem turpissima servitute dehonestarent.

## § 2.

### DE AMORE GLORIÆ.

Non eodem modo omnes gloriam quærunt : alii, ut vulgi animos atque ora in se convertant posterisque nomen

tradant, rerum potiri conantur, nullisque impedimentis, nullis periculis, nullis legibus humanis et divinis deterrentur quin ambitionem quovis pacto expleant. Alii, neque ii pauciores, secum immensa armatorum agmina trahunt, terras igni ferroque vastant ut famam unius multorum sanguine emant; alii denique vestitus, incessus, habitus sermonisque insolentiam quamdam præ se ferunt; quod vulgus despicit, venerantur, quod veneratur, despiciunt, divitias scilicet voluptates præsertimque gloriam, sed eam in eo ipso affectant quod contemnere videntur. Astuti enim et callidi non ignorant omnia quæ extraordinaria, nova et inusitata sint, vulgi oculos perstringere et admirationem movere (1). Et, meo quidem judicio, non minus gloriæ cupidus fuit Diogenes quam Alexander, qui quidem id probe intellexit : nam, quum illum omnia superbe despicientem vidisset, conversus ad amicos : « nisi, inquit, Alexander essem, Diogenes esse vellem. » Idem quoque sentiebat Plato, qui a Diogene ob fastum reprehensus respondit se non minorem fastum sub trito et sordido Diogenis palliolo videre. Cæterum ne Diogenes quidem id dissimulabat, imo vero Cynica libertate, ne dicam, impudentia, quid sentiret aperte declarabat, cum ei præciperet qui gloriam vellet adispici, ut illam despicere simularet (2).

Quod præceptum magistri bene tenuerunt discipuli et nihil unquam prætermiserunt ut a vulgo soli suspicerentur. Præsertim autem Luciani tempore Cynici, quasi morbo, gloriæ amore laborabant. Quorum unus, Peregrinus(3) nomine, quum jam omnes sui ostentandi causa rationes adhibuisset, in animum inducit coram omnibus Herodi cuidam maledi-

(1) Gallus.

(2) Pro Imag., 18.

(3) Peregrin.

cere quod Olympiam aquas duxisset et præclara oratione ita auditorum invidiam in se concitat ut manibus vix temperaverint; tum sequente Olympiade aliam viam ingressus eumdem Herodem ob eamdem causam summis laudibus extollit; quum autem omnino negligeretur, tertia Olympiade prædicat se novum aliquod spectaculum præbiturum, in rogum scilicet ascensurum ut vivus cremaretur et reipsa ascendit. Alter (1), Alcidamas nempe, vere Cynicus, ad cœnam nuptialem sponte neque invitatus venit, amplissima frusta aliis eripit avidoque dente appetit, sponsæ ridicula et turpia propinat, præsentibus mulieribus pudenda aperit, cum scurra luctatur ei invidens quod jamdiu solus totum convivium delectabat. A duobus omnes discere possumus : valde autem numerosi erant, cum multi operarii ad cynicam philosophiam transfugerent : quid mirum? Alias artes vel vilissimas discere et exercere nonnullius erat curæ et laboris : cynicum autem fieri et esse, expeditissimum et facillimum. Quid enim minus arduum quam palliolum tritum induere, barbam pascere, peram dorso suspendere, semper in manu baculum, in ore contumelias promptas habere, clamare seu potius rudere, latrare omnibusque conviciari? Nulla autem ars aut tutior : omnes licet maledictis probrisque laceraret Cynicus, nemo succensebat, nemo irascebatur, infinitam licentiam Cynico dabat veneratus habitus; aut honestior: illum omnes admirabantur et colebant, illius audiebant consilia, exprobrationes reformidabant; aut lucrosior: a publica credulitate quasi tributum exigebat Cynicus, cæteros homines quasi oves tondebat. Itaque cum aliquandiu cynicam exercuerat philosophiam, satis multam pecuniam, satis magnas opes collegerat, tum vero illud infelix

(1) Lapith.

palliolum deponebat, agros emebat, mollissimas vestes, comatos pueros totasque villas, Cratetisque peræ, Antisthenis palliolo, cado Diogenis longe valedicebat (1).

Quis non credat non magis suam quam nostram ætatem depinxisse Lucianus? Non mortui sunt omnes Peregrini et Cynici, imo vero multi etiam nunc vivunt neque mores mutaverunt. Paupertatem prædicant ut divitias comparent, gloriam verbis elevant ut famam adipiscantur, summo fastu et apparatu simplicitatem atque modestiam, summa acrimonia lenitatem atque mansuetudinem commendant, solos se veritatem et amare et tenere profitentur aut potius clamant : impudentissime tamen mentiuntur, impudentissime παλινωδοῦσιν. Præstantissimos in republica gubernanda viros, summos poetas, oratores, historicos gravissimis indignissimisque conviciis lacerant, turpissimos flagitiosissimosque homines, crudelissima instituta, maxime impios mores non clam et timide excusant sed aperte et audacter summis laudibus extollunt. Denique (vide quam illi Peregrino similes sint) rogos strui volunt, non tamen ut ipsi conscendant sed ut alios cremandos immittant.

## § 3.

### DE SUPERSTITIONE.

Religionum negligentia et superstitio, cum natura dissimillimæ videantur, sæpissime tamen ita bene conveniunt, ut eas non inimicas, sed sorores reputare facile possis. Nulla magis quam Luciani ætas Deos contempsit, nulla quoque magis superstitionibus fuit dedita. Nec tantum imperitum vulgus, nulla doctrina excultum ridiculas et incredibiles fabulas narrabat eisque credebat; sed etiam graves philo-

(1) Fugitivi.

phi (1) ætate, studiis venerabiles; quos non pudebat contendere morbos *sympathicis* remediis curari, Hyperboreum quemdam volare, per aquas et ignes ingredi, statuas spontè ambulare, aulam circumire, denique in suam basim se reponere, Hecaten cum canibus non raro videri, mortuos post triginta dies resurgere, Ægyptiacis formulis dæmonas expelli, carminibus quibusdam magicis pistillum aut scopulam ministrum fieri qui veri hominis partes agat, aquam hauriat, dapes coquat et in mensa apponat. Quid quod non contenti asseverare illas aniles fabulas veras esse, indignabantur si quis credere nolebat eumque impietatis accusabant (2)?

Cum ita animi præparati essent, necesse erat quosdam callidiores cæterorum stoliditatem quæstui habere : quod tum multis aliis, tum Alexandro, falso vati accidit, qui nihil omnino, ne comam quidem (3), verum habebat, cujusque effigiem et animi et corporis nobis Lucianus diligentissime expressit. Non ingenio carebat Alexander : primum enim indoctos et hebetes elegit homines apud quos artis periculum faceret, tum multis modis litteras resignare lectasque denuo obsignare callebat, easque retinebat quæ apud principem consultantibus nocere possent, dolis vim addebat et atrocissime Christianos Epicureosque insectabatur, denique vulgi oculos inusitata quadam et religiosa pompa perstringebat. Itaque incredibili fama et honore floruit, ejus nomen mox pervulgatum est, omnes undique ad eum consulendum accurrebant. Quid quod uni e potentissimis Romæ civibus, Rutiliano scilicet, filiam collocavit? Jamque talis viri gratia fretus, omnia impune facere potuit; cæterum ita

(1) Philopseudes.
(2) Philopseudes.
(3) Alexand., 3.

plerorumque mentes obcæcaverat ut nihil illos stulto errore liberare posset. Frustra Alexandri oracula eventu falsa reperiebantur, semper tamen ei fidem adhibebant; frustra virgines puerosque tentabat, colebant tamen et venerabantur, quin imo « magnum erat unicuique atque optabile si cujus uxorem aspiceret; si vero osculo etiam dignaretur, confestim ut bona fortuna in domum suam influeret futurum esse unusquisque putabat. Multæ vero etiam se peperisse ex eo gloriabantur et vera illas dicere, illis mariti testabantur (1). »

Tanta stultitia, tanta ineptia vix credibilis videtur : ne protinus tamen Lucianum accusemus quod falsa scripserit et odio Alexandri potius quam veritati consuluerit. Ut enim quo humana intelligentia progredi, ita et multo magis nescitur quo stupiditas descendere queat. Quis ignorat paucis annis antequam vixit Alexander, Apollonium Thyaneum (2) eisdem fraudibus et præstigiis mirabilem et pene divinam famam sibi comparavisse, dum omnes tum animi tum corporis morbos curaret, expelleret dæmonas, mortuos vitæ redderet? Non ipsum Apollonium audierat Alexander sed Apollonii discipulum et popularem qui omnem ejus artem fallaciamque combiberat. Nihil ergo mirum si tali disciplina, tali magistro usus, eis fucum fecit qui decipi et facillime possent et quodammodo amarent. Jam vero quo tandem jure indignemur aut etiam miremur si Luciani ætas tanta stultitia laborabat? Nos ipsos, si quis rem serio considerare voluerit, non multo minus credulos et stolidos reperiet. Non jam statuæ ambulant, sed plorant, annuunt, renuunt, non jam mortui redeunt vivos im-

(1) Alexand., 42.
(2) Philostrat., Apollon. vit.

ploratum ut unum crematur (1) sandalium, sed ut votum quoddam reddatur; non jam podagra (2) dente muris aranei in leonis aut cervi pelle incluso curatur, sed omnes sanantur morbi si e certo fonte haustam aquam biberis; in quibusdam regionibus surditatem depones si festo die caput tintinnabulo submiseris, puerum febre liberabis si vel media hyeme nudum in frigida unda immerseris. Quid quod fere omnes nuperrime credidimus mensas sponte verti, audire, respondere, scribere, numerare et futura prædicere? Valde nobis gratulari debemus quod verbis tantum neque facto mortui resurgunt : nam si Lucianus redire posset, magnopere timeo ne nostram magis quam suam ætatem risurus esset.

## CAPUT III.

### Quæ de humana natura senserint et de moribus præceperint comici et Lucianus.

Antiqua comœdia, cum non de universis sed de singulis rebus et hominibus agat, paucas de natura humana, paucas de moribus videtur reliquisse sententias. Mediæ longe alia est ratio : quæ humanam conditionem contemplata, et mala, ut par erat, potius quam bona videns, vitam (3) aleæ comparat aut diversorio (4) in quo aliquantisper commoremur eamque execratur (5) et præsertim senectutem (6);

(1) Philopseud., 10. 2)
(2) Philopseud., 17.
(3) Alexis, Brettia, Meineck., III, 399.
(4) Alexis, Tarantini, Meineck., III, 484, 485.
(5) Antiphanes, Κναφεύς, Meineck., III, 66.
(6) Antiphanes, Epiclerus, Meineck., III, 51. Cf., III, 155.

etum epicuree concludit eum optime vixisse qui in illo diversorio optime comederit, potarit atque (1) amarit.

Eadem fere apud novam occurrunt, sed multo tristiora : scilicet omnia fortunæ temeritate et cæco fato regi, hominem a bestiis statu solum differre (2), imo vero illis miseriorem (3) esse; aliquando etiam ita graves, ita flebiles, imprimis apud Menandrum, sententias invenimus ut non comicum sed elegiacum scriptorem, non ethnicum sed christianum nobis legere videamur (4). Illud quoque christianum habent comici quod humanitatem, misericordiam, caritatem prædicant (5), nullum inter liberos et servos (6) naturale discrimen agnoscunt, divites magnopere hortantur ut pauperibus opem ferant, inopes solantur, dum ostendunt neque diu inopiam tolerandam esse, cum adeo brevis vita sit, neque locupletes tam fortunatos esse quam videantur (7).

Hic, ut alias, Lucianus multa quidem similia comicis habet : ut illi, humanæ naturæ vitia sagacissimis acutissimisque oculis perspexit, ut illi, scepticus est, ut illi, pauperum dolorem solatur, divitum superbiam retundit; sed

(1) Antiphanes, Miles, Meineck., III, 115, 116. — Cf., III, 96, 102, 103, 104, 138, 248, 309, etc.

(2) Philemo, Agyrtes, Meineck., IV, 3.

(3) Philemo, Meineck., IV, 33, 36. — Menand. Theophor. Meineck., IV, 134, 135. — Cf., IV, 230.

(4) Philemo, Sardius, Meineck., IV, 23. — Menand. Meineck., IV, 227, 233, 247.

(5) Philemo, Fragm. incert., 51β, — Meineck., IV, 52. — Menand., Dyscolus, Meineck., IV, ~~227, 233, 247~~. 167

(6) Philemo, Ἐξοικιζόμενος, Meineck., IV, 9. — Cf., IV, 47. — Cf. Epicurum (Senec. Epist., 107, 1).

(7) Menander, Citharistes, Meineck., IV, 149. Gubernatores, Meineck., IV, 157. Cf. Philemo, Fragm. incert., 7, 9. — Meineck., IV, 35, 36.

nonnulla quoque dissimilia; primum multo sæpius, copiosius ornatiusque confirmat divites specie magis quam re felices esse : id in *Dialogis Mortuorum*, in *Cataplo*, id in *Saturnalibus*, *Nigrino*, *Cynico* et maxime in *Gallo* defendit ac tuetur. Deinde pauperes accusat quod ipsi locupletum luxuriæ et superbiæ causam materiamque præbeant, denique (et illud fortasse gravissimum discrimen) humani generis mala et incommoda non flebiliter miseratur ut comici, sed læte irridet. Quod divites, tyrannos, formosos ludibrio habet qui credant divitias, sceptrum, pulchritudinem secum ablaturos esse neque miror, neque indignor : artem suam, ut ita dicam, exercet; quod reges et civitates irridet quæ bella gerant multaque hominum millia occidant pro exiguissimis angustissimisque terræ punctis quæ vix Epicureis atomis comparari queant præ universitate rerum, in hoc quoque non illum reprehendo. Vellem tamen non semper hominum mala illum ridere, sed aliquando miserari : quod quidem aut nunquam, aut fere nunquam facit. Ridet quod quis pollicitus cras se convivio affuturum esse, statim tegula cadente interficiatur (1), ridet quod Crœsus tam superbe cum Solone colloquens mox Cyro serviturus sit (2), quod Cyri ipsius caput abcissum in utre sanguinis pleno immergatur (3), ridet quod homines adulterentur, trucident, insidientur, rapiant, pejerent, quod frater fratrem, filius patrem, amicus amicum prodat, vi aut veneno enecet (4). Irasceretur, credo, naturæ rerum, si homines meliores sapientioresque fecisset : careret enim vario multiplicique spectaculo e quo tantam nunc voluptatem

(1) Charon.
(2) Charon.
(3) Charon.
(4) Icaromenip.

delectationemque percipit. Quid quod hominum immolationes (1) existimat tolerabiliores quam Ægyptiorum superstitiones? Quæ quidem, quantumvis ridiculæ, sed tamen multo minus abominandæ cuilibet facile videbuntur. Mallem itaque paulo minus ingeniosum et multo hominum amantiorem fuisse.

---

# CAPUT IV.

## Quomodo in rerum dispositione comicos secutus fuerit Lucianus.

---

Non solum eadem quæ comici, sed etiam eodem fere modo dixit Lucianus operaque in eamdem formam includit. Ut cæteros omittam comicos, nemo ignorat Aristophanem in componendis fabulis ironiam, allegoriam et incredibilem quamdam ingenii audaciam adhibuisse. Vultne ostendere quanto contemptu digni sint plebicolæ? In scenam inducit botularium quemdam qui Cleoni præponitur, ac præficitur civitati nullam aliam ob causam nisi quod infima plebe, ignobilissimo loco oriundus, vix legere et male quidem scit legere, et uno verbo omnium imperitissimus, impudentissimus, nequissimus recte existimari potest. Libet Sophistarum subtilitatem irridere? Ab illis nubes adorari fingit. Placet omnes quasi digito pertentare quidquid mali et asperi in judicibus insit? Eos in Vesparum formam induit. Eamdem fere viam insistit Lucianus. Quid enim mordacius ironicum excogitari potest quam libellus ubi

(1) De Sacrific.

*rhetorum præceptorem* inducit discipulos docentem atque hortantem omnes virtutes fugiant, omnia vitia sectentur si oratoriam laudem adipisci velint? Quid ingeniosius allegoricum quam, ut philosophorum avaritiam aperte et manifeste demonstret, eos auri specie allectos piscari? Quid audacius fictum quam *Vera Historia* ubi omnes frenos ingenii audaciæ et luxuriæ remittit mendaciisque jocosisque commentis ex industria compositis poetarum et historicorum seria mendacia superat?

Sed quid longius probare coner Lucianum ad eamdem formam quam comicos opera redegisse, cum plerumque, ut illi, dialogo utatur? Haud equidem ignoro plus quam semel ipsum profiteri se non a comicis, sed a philosophis dialogum mutuatum esse, Platonemque potissimum inter philosophos innuere videtur. Sed primum Plato ipse dialogum ab Epicharmo mutuatus erat eumque comœdia proprio jure sibi vindicare posset; deinde Lucianus ipse addit se ad comœdiæ ipse vocem dialogum accomodavisse, et id quidem gravissimum : non enim plurimum refert utaturne an non dialogo, sed quomodo utatur. Cæterum minime mirum si hoc potissimum sermonis genus adamavit : in principio rhetor fuerat, et, si non certas et singulas, infinitas et universas causas egerat : dialogo autem uti, id est quoque rhetoris partes exercere, nisi quod omnes et solus duas aut plures causas perorat, idem audit, idem judicat. Adde quod veritas quasi elisis opinionibus elicitur, et in utramque partem disputandi ratio copiosam et facilem ingenii ostendendi materiam et occasionem præbet : Lucianus autem, ut veritatis erat amantissimus, ita ingenii famam haud aspernabatur. Multæ ergo et variæ causæ concurrebant ut Lucianus dialogo uteretur, quem quidem facillime et felicissime tractat. Nemo unquam comicorum melius

novit ita personas inducere ut a principio et risum et magnam expectationem moveant : quid lepidius et vividius quam Micyllus (1) *gallo*, Jupiter (2) philosophis, Jovi Timon (3) iratus dirasque imprecans? Nemo cujusque moribus, fortunæ, sexui, ætati, aptiorem et accomodatiorem tribuit sermonem. Quis apud illum Herculem non agnoscat? Damidem, Deorum hostem, interficiendum censet, ne Timocles, Deorum amicus, vincatur. Apollinem? Ita ambiguum obscurumque edit oraculum ut id vix ipse expedire possit. Epicurum et Aristippum? Impetraverunt quidem a sua mollitia ut cæteros philosophos *reviviscentes* comitarentur, sed quum in terras pervenerunt, itineris labore pene exanimati anhelant. Jam vero visne cognoscere quam scite læsæ uxoris zelotypiam descripserit? Vide Junonem (4), quæ Jovem aspiciens vultu perturbatum, colore pallidum et miserabilissimos Euripidis versus effundentem, illico suspicatur eum novum pellicatum meditari et amatorio dolore cruciari. Quam mira arte feminarum malitiam pinxerit, quæ formæ æmulam omnibus modis elevare tentant et eo graviores plagas inferunt quo levius attingere videntur? Eamdem (5) audi Junonem quæ sic Venerem alloquitur (cum Venere scilicet et Minerva Paridi judicanda descendebat in terras jamque super Idam deventum erat) : « nunc quum descendimus, tibi tempus est, Venus, ducem nobis itineris te præbere : tu enim, credo, locorum es sciens, cum sæpe, ut memorant, ad Anchisem descenderis. » Nihil mordacius, nihil acerbius nisi fortasse Mercurii responsum

(1) Gallus.
(2) Bis accusatus.
(3) Timon.
(4) Jupit. Tragœd.
(5) Dialog. Deorum, 20.

qui humanissime, ne dicam amatorie, Venerem defendit, et Junonem, dum amarissimam Ganymedis memoriam revocat, acerrime pungit, sed ita ut neque illam tueri neque hanc lædere velle videatur. « Imo vero, inquit, ego vobis dux ero : ipse enim apud Idam commoratus sum, quum Jupiter amaret adolescentulum Phrygis filium, et sæpius huc veni, ab illo missus ut puerum observarem. » Dein male salsus vulnus in vulnere facere gaudet nec suspicari quidem videtur se cuiquam displicere posse, quum longius describat unde, quomodo, quam amatorie juvenis a Jove in auras sublatus fuerit. Quoniam autem de Ganymede mentio incidit, quam vere in illo cum Jove colloquente puerilem simplicitatem Lucianus (1) expressit! Enixe puer flagitat ut in terras quam celerrime remittatur, metuit ne suas oves lupi edant et ipse a patre non paucas plagas accipiat, et, cum respondetur in cœlo manendum esse, ingenue sciscitatur qualem habiturus sit æqualem quocum possit colludere, et alia talia quæ eximiam candoris speciem præ se ferunt. Non satis doleri potest quod hic dialogus in impurissima re versetur : hoc si vitium abesset, omnibus numeris absolutum perfectumque opusculum esse affirmare non dubitarem.

Neque tantum rerum et dispositionis summam a comicis sumit Lucianus, sed aliquando etiam singula imitatur. Hic autem attente et circumspecto judicio agendum est; cavendum ne falsa similitudinis specie decipiamur, aut quotiescumque unus aut alter Luciani locus comicis comparari possit, Lucianum protinus vocemus imitatorem. Voluitne enim, ut aliquis censet, dialogum, in quo Annibal et Scipio colloquuntur, ad *Ranas* Aristophanis effingere?

(1) Dialog. Deorum, 4.

Minime omnium credo. In *Bis accusato* Cratini *Pytinam* imitari? Valde dubito : Aristophanis-ne *Plutum* (1) respicit, quum Micyllum jocose (2) ejulantem, *Nubes* (3), quum Lunam de philosophis querentem (4) facit? *Pacem* et *Aves*, quum Icaromenippo dat pennas, *Equites* (5), quum Apollini (6) oraculum affingit; *Ecclesiazusas* (7), quum tyranni Megapenthis lampada testificantem (8) inducit? Libentius crediderim; affirmare non ausim : sed negabit nemo eum et a Menandro *Elenchum*, si non in *Piscatore*, saltem in *Pseudologista* mutuatum esse, quum ipse aperte (9) profiteatur, et dialogum illum, qui *Timon* inscribitur, totum fere ad Aristophanis *Plutum* composuisse, quum res per se ita manifesta sit ut neque ipsius Luciani confessione neque ullis indigeat argumentis. Utriusque operis similitudines dissimilitudinesque fuse et satis diligenter exposuit doctissimus vir *Carolus Lebeau* (10); quædam tamen omisit, tum alia, tum gravissimam illam dissimilitudinem quod apud Aristophanem nullæ, apud Lucianum omnes fere personæ philosophantur : sed eam in præsens satis habeo breviter indicare, mox longius explicare conabor.

Jam vero, ut comicorum virtutes, sic vitia quoque exprimit Lucianus. Nemo ignorat comicos, antiquos præ-

(1) 1125, 1130.
(2) Cataplus.
(3) 607.
(4) Icaromenip.
(5) 197, 1015, 1030, 1035.
(6) Jupit. Tragœd.
(7) Init.
(8) Cataplus, 17.
(9) Pseudolog., 4.
(10) Tome XXX des Mémoires de l'Académie des Inscriptions et Belles-Lettres.

sertim, haud ita arctis legibus inscribendo astrictos esse, et dum risum moveant, fabulæ simplicitatem parvi facere, verisimilitudinem non raro negligere nec pauca a proposito aliena fundere. Ut alios omittamus, Aristophanes parum curat ut

> sit quodvis simplex duntaxat et unum :

in *Ranis* duplex, in *Thesmophoriazusis* fere duplex argumentum tractat; mediocriter cavet ut quæque persona

> ......................servetur ad imum
> Qualis ab incepto processerit et sibi constet;

in *Equitibus* Demi, in *Vespis* Philocleonis mores repente commutat; minime providet ut pars quæque fabulæ

> proposito conducat et hæreat apte;

in *Acharnensibus* Euripidem, lepidissime quidem et ingeniosissime, sed parum opportune, deridet.

Haud longe alia est Luciani ratio: non multo pressius et strictius servat scribendi leges, non religiosius curat ut simplex et unum sit cujusque opusculi argumentum, ut nunquam a proposito oratio longius aberret, ut primis media, mediis postrema congruant. Vide dialogum qui *Gallus* inscribitur : in hoc laudabilem materiam probo, ingeniosam allegoriæ formam diligo, mirorque quam feliciter fabulosis vera conjungantur; sed tamen idem non possum, quin fatear Lucianum haud pauca a re aliena effudisse. Eum παρῳδεῖν Homerum, Homericaque commenta illudere, non suceenseo propterea quod, quamvis sæpius, tamen obiter, id facit; Pythagoræ dogmata et insolentem victum deridere : hoc quoque concedo, quamvis hic fortasse fusius et copiosius immoretur, propterea quod in Pythagorica fabula par erat Pythagoram præclarum locum obtinere; sed cur tam longe, tam inu-

tiliter Eucratis convivium describit? Hæc descriptio maximam vim ingenii, summam ubertatem et copiam testatur, sed quomodo ad propositum pertinet? Minus equidem video, et nisi fallor, minus videbat ipse optimus Micyllus, qui ad eventum festinans, suum somnium tandem narrare incipiebat, neque Eucratis convivium, nisi a garrulo *gallo* interpellatus, nisi invitatus, nisi fere invitus, describit: verebatur enim, ut ait, ne tædium afferret. Nobis autem Lucianus neque tædium affert neque potest afferre: tantus in illo lepos, tanta doctrinæ elegantia, tanta sententiarum et verborum venustas! Quin etiam prima lectione mediocriter attendentes nulla offendunt vitia, nulla afficiunt; imo vero quasi orationis flumine abripimur, figurarum splendore, varietate delectamur; sed deinde, si lectionem repetimus, si diversarum partium congruentiam atque ordinem, neque tantum singula, intuemur, si quærimus non solum quam bene, ornate, graviter, sed quam apte, quam opportune, quam convenienter quæque posita sint, etiam tum Luciani incredibilem quamdam facultatem miramur, judicium probare non possumus. Videmus enim eum longius quam destinabat, abreptum esse tum descriptionis amore, tum Stoïcorum odio quos omnes sub unius persona, Thesmopolidis scilicet, acerrime insectatur. Omnes ingenii opes in descriptionibus, narrationibus aliisque talibus locis profundat: optime quidem; Stoïcorum subtilitatem, avaritiam exagitet: optime hoc etiam; sed quum res ipsa poscet, quum sua sponte occurret et sese offeret occasio quæ semper exspectanda, nunquam arcessenda est. Hic saltem eam minus quærere quam non fugere videtur, quum ultro *gallus* a proposito Micyllum avocet; quid quod interdum non solum non fugit et vitat, sed etiam captat et aucupatur? Ut in *Icaromenippo*, Menippus neque jussus, neque rogatus inceptam narrationem repente

abrumpit aliamque et eam longissimam auditori ingerit (1).

Vide *Jovem Tragœdum* : in scenam inducitur Jupiter omnino perturbatus, miserabilissimos Euripidis versus effundit, de summis rebus deliberaturos omnes deos ad concilium vocat, deinde subito rhetoras exagitat, suos ipsius filios Herculem et Neptunum deridet; Herculem quod *Bœotiset* (2), Neptunum quod *thynniset* (3). Non insulse quidem, sed quid intempestivius excogitari potest?

Sed cur, optime maxime Jupiter, istiusmodi dicteria, scurrilem quamdam lasciviam magis redolentia quam regiam majestatem, non Momo relinquebas, qui omnium illudendorum provinciam et quasi proprio jure sibi vindicare potest, et omnium judicio, etiam tuo, præclarissime fungitur? Eum saltem ludere, jocari, ridere, nemo succensebit, nemo mirabitur : cur doleat, gemat, ejulet? Nihil habet perdendum (4).

Vide *Cataplum* (5) ; Charon acerrime de Mercurio queritur quod nondum advenerit et naviculæ profectum tardet, neque vel amarissimis conviciis abstinet. Quid postea? Cum tandem advenit, longissimum Megapenthis et Clothus colloquium, longissimam Micylli orationem lentissime audit, et omnino oblivisci videtur se nuper proficiscendi cupidissimum fuisse. Quid aliud lector quam miratur cur tam celeriter tantæ festinationi tanta lentitudo successerit?

Sed hæc fortasse levia : illa graviora quod interdum Lucianus neque temporum, neque personarum habet ratio-

(1) Icaromenip., III. μᾶλλον δὲ καὶ πᾶσαν ἐξαρχῆς τὴν ἐπίνοιαν, εἴ σοι σχολή, δίειμι.

(2) Jupit. Tragœd., 32.

(3) Jupit. Tragœd., 25.

(4) Jupit. Tragœd., 22.

(5) 1.

nem. Illud omitto quod Jupiter, etiam cum vel maxime philosophos impugnat, philosophorum more et loquitur et sentit. Jupiter, credo, cum sit æternus, doctrina ingenium excolere, saturnium illud virus deponere, agrestiorem illam asperitatem exuere atque ad recentiorem hanc humanitatem urbanitatemque mores et facta accommodare potuit. Sed quid quod Solonem, qui religiosissimus omnium fuisse traditur, religionum (1) spretorem inducit Lucianus? Quid quod Micyllus (2) sutor facillime Homeri versus laudat, amplissime, copiosissime, ornatissime et divitum incommoda et pauperum commoda enumerat, describit, depingit, figuris figuras, comparationibus comparationes ingerit, argutissimas sententias, ingeniosissima verba quasi e fonte inexhausto profundit? Grammaticum et quidem eruditissimum, rhetora et quidem omni ingenio abundantem, omni doctrina florentem, non plebeium quemdam hominem, non sutorem audire tibi videris. Et, nisi multum fallor, lucianeus ille Micyllus non sutorum, sed rhetorum officinam frequentavit; non crepidinibus, sed libris incubuit; non scalprum, sed stylum tractavit; ad hunc certe minime omnium quadrat notissimum illud proverbium : *Ne sutor supra crepidam.*

Nunc autem quomodo fieri potest ut idem Lucianus modo optime, modo minus bene dialogum tractet, modo religiosius verisimilitudinem colat, modo incuriosius negligat? Hanc ego causam mihi invenire videor : scilicet quod inter ejus dialogos alii non tantum nomine, sed etiam re ipsa dialogi reputari debent; alii nihil fere nisi nomen dialogorum habent; quorum maximam partem

(1) Charon, 12.
(2) Cataplus, 14-18.

narrationes, descriptiones, disputationes obtinent. In prioribus, paucissimis quidem, sed optimis (ad eos autem supra nostram referebamus cogitationem, de iis agebamus) nihil facile reprehendendum invenies : personarum, rerum, temporum perfecte servatur decor. In posterioribus vero ob nihil aliud dialogum adhibet Lucianus quam ut hac disserendi ratione jucundius lectorem docere, argutius dicere, ingeniosius præcepta de vita et moribus explicare possit. Itaque ex *Mytho* aliquem, ex historia, e vita communi arripit quem in scenam inducat cum alio colloquentem. Mox autem obliviscitur sibi alienas partes agendas : suas agit; alienam personam esse sustinendam : suam sustinet; alienas opiniones defendendas : suas tuetur ac defendit. Non Jovem, non Solonem, non Micyllum, sed Lucianum audimus. Hujusce modi ergo dialogi, quamvis plerique fortasse etiam gravioribus sententiis quam ceteri abundent, quamvis in laudabilioribus argumentis versentur, facilem tamen et meritam habent reprehensionem, si ad artem solum ordinemque rerum respexeris. Sed ne severius eos damnes : ut enim se imitari comicos haud semel declaravit Lucianus, ita nunquam se vere comicum esse professus est. Quid autem iniquius quam si ab eo repeteres quod non promisit, opus exigeres quod non suscepit? Jam vero, quid tandem refert parum veri similia necne, parum sui propria, parum apta dicant lucianeæ personæ, si vera dicunt? Quid tandem est quod stomachemur, quod indignemur, si propositum optime consecutus est Lucianus, si, id quod voluit, vulgi errores et stultitiam, philosophorum vanitatem, divitiarum inanitatem, felicissime ostendit? Decipimur quidem et fallimur, quum haud notum nobis sed fictum quemdam et omnino lucianeum Jovem, Solonem, Micyllum videmus, sed nullo

gravi detrimento, sed non sine quadam voluptate et delectatione : nonne autem summæ inhumanitatis, summæ importunitatis esset scriptori succensere, quod suo magis quam nostro arbitrio et more nos delectat?

---

# CAPUT V.

## Quid in genere dicendi simile comicis habuerit Lucianus.

---

De omnibus fere scriptoribus vere dictum est ab eorum scriptis dijudicari posse qua in regione nati sint, qua ætate vixerint, quæ potissimum studuerint, num partem aliquam philosophiæ adamarint, qua puerili disciplina imbuti, quibus præceptis eruditi, quibus institutis formati, quibus ab initiis profecti sint, quem vitæ cursum tenuerint, quos auctores sibi imitandos proposuerint; de nemine autem verius quam de Luciano dici potest. In Luciano enim facile agnoscas Asianum hominem : sæpissime luxuriatur et redundat (1); Plutarcho æqualem : incorporalibus (2), ut grammatici dicunt, nominibus, quamvis parce, utitur; mendacii osorem, veritatis amatorem : a scena tragœdiaque in qua nihil verum, nihil sincerum, nihil simplex, omnia falsa, ficta fucataque esse arbitratur, exempla et comparationes creberrime (3) arcessit; Epi-

(1) Gallus, 9. Οὖ ἔφεδρος ἐγὼ καὶ ἀντίδειπνος καὶ διάδοχος ἐκεκλήμην.

(2) De Merced. Conduct., 1. ὦ φιλότης.

(3) Nigrin., I, 9, 11, 18, 20, 24, 30. — Gallus, 26. — De Merced. conduct., 1, 10, 19, 41. — Piscat., 31, 36, 37. — Icaromenip., 17, 29, 30. — Toxaris, 9, 12. — Alexand., 6, 12, etc. etc.

curi (1) sectatorem : ita perspicuam affectat orationem ut lux ipsa non clarior sit; denique rhetorum discipulum et eum quidem qui illorum præcepta non tantum cogitatione comprehenderit, memoria tenuerit, sed factis explicuerit et ad usum transtulerit : vilissima (2) laudare aggreditur quasi vi orationis (id enim profitebantur rhetores) et magna elevare, et parva augere posset; in utramque (3) partem non raro disserit; comparationibus abundat. In comparationibus nimium esse Lucianum, nemo, credo, infitiabitur : sed in rhetoras et rhetoricam crimen conferendum esse nonnulli fortasse dubitabunt; nihil tamen verius, meo quidem judicio. Agedum : ad quod eloquentiæ genus potissimum sese applicuit Lucianus? Ad demonstrativum, omnes respondebunt. Huic autem generi nemo ignorat quantam, non dico libertatem, sed licentiam veteres concederent. Illud omitto quod apud Græcos, si quis viros in acie cæsos laudabat, de illis aut fere nulla aut paucissima dicebat, de illorum patria et majoribus longissima commemorabat : id enim fortasse exigebat mos popularium civitatum ubi optimus quisque et eminentissimus vulgi invidiam in se concitabat; ita saltem interpretantur qui de hac re subtilius quærunt; quanquam tale institutum oratoribus valde commodum erat, paratamque et copiosam dicendi materiam semper suppeditabat. Sed quid quod Quintilianus, alias severissimus judex, asperrimus censor, cum genere demonstrativo lenius agit ac remissius? Operæ pretium est ipsa ejus verba afferre (4) : « Illud genus ostentatione compositum, solam petit audientium volu-

(1) Vide infra, p. 64 et seq.

(2) Encomium Muscæ. — Parasitus, etc.

(3) Bis accusat. — Piscator. — De Domo.

(4) *Inst. orat.*, *VIII*, 3, 11, 12.

ptatem : ideoque omnes dicendi artes aperit ornatumque orationis exponit : ut quod non insidietur, nec ad victoriam sed ad solum finem laudis et gloriæ tendat. Quare, quidquid erit sententiis populare, verbis nitidum, figuris jucundum, translationibus magnificum, compositione elaboratum, velut institor quidam eloquentiæ, intuendum et pæne pertractandum dabit. Nam eventus ad ipsum, non ad causam refertur. » Quum Quintilianus ipse tam parum elate ac magnifice de eloquentia sentiat et oratorem institori comparare non erubescat, quid mirum si ceteri nihil non sibi licere credebant?

Inter autem omnia jura quæ genus demonstrativum quasi sui propria et peculiaria poterat vindicare, nullum aut facilius concedebatur aut avidius arripiebatur quam jus infinita pene libertate comparandi. Audi Dionysium (1) halicarnasseum : « Si magnus est quem laudas, Ajaci comparabis; si pulcher et fortis, Achilli; si prudens, justus, modestus, Nestori, Aristidi, Phocioni; si parvus, Tydei, Cononi. » Audi Lucianum : « At illud dico tales esse nobis *laudandi* locos et formas, ut is qui laudet, imaginibus similitudinibusque utatur » (2).

Hæc vera quidem, sed addere potuisset non solum ad amplificandam ornandamque orationem comparationem valere, sed etiam doctrinæ ingeniique ostentandi occasionem præbere, atque (id autem fateri fortasse gravaretur) oratori quid sentiat, quid dicat, nescienti, et sententias et verba largius suppeditare. Ad comparationem enim necesse est eum confugere qui vilia, trita, vulgariaque argumenta aut sponte (quod nollem) elegerit aut necessitate

(1) *Ars rhetorica,* 3, 4.
(2) Pro Imag., 19.

aliqua coactus susceperit, quod quidem Luciano, ut parum fortunato, plus quam semel accidisse libenter crediderim. Eum in *Encomio Muscæ* ingenio indulsisse et ostendere voluisse quam vel minutissima et attente observaret et diligenter describeret, facile concedam: sed quum Hippiæ nescio cujus balineum, quum nescio quam domum laudat, minus famam quam pecuniam mihi quærere videtur. Jam vero omnes ejus *Prælectiones* necessario potius quam voluntarie esse compositas vel ex ipso titulo satis apparet: prælegebantur enim ut auditorum mentes allicerent, benevolentiam oratori conciliarent. Omnes autem in infelicibus argumentis versantur. Quid enim infelicius et spinosius quam et se suaque opera et ignotos homines laudare? Quis tam vetera nove, tam vilia ornate, tam ingrata jucunde, tam exilia copiose tractet? Ne Lucianus quidem possit, quamvis ingenio et doctrina abundet; quid ergo facit? Comparationem quasi quemdam Deum ex machina arcessit: se Herodoto (1), Zeuxidi (2), Timotheo (3), Anacharsidi (4), iis qui a Dipsadibus morsi inextinguibili crucientur siti, Herculi et Baccho, auditores Olympiorum ludorum spectatoribus, optimis judicibus, Soloni comparat. Ideone illi succensendum? Minime. Malo equidem

> nihil invita dicat faciatve Minerva,

et quæ

> Desperat tractata nitescere posse, relinquat,

quam si naturæ vim afferat et, ut aiunt, aquam a pumice

(1) Herodot.
(2) Zeuxis.
(3) Harmonides.
(4) Scytha.

postulet. Tunc enim inficeta solum, insulsa et frigida dicere possit : nunc autem narrationes, descriptiones (1) jucunditate et suavitate plenas habemus. Quid refert eum a proposito recedere et ad *mythum* quemdam (ipsius verbis (2) utor) confugere ? Illud tamen malum inde traxit quod comparandi consuetudinem necessario captam aut semper retinere voluit, aut nunquam deponere potuit. Hæc est causa neque alia cur apud eum incredibilis fere comparationum numerus occurrat, cur, ut unum de multis exemplum eligam, cum Pantheæ pulchritudinem vult laudare Lucianus et formam depingere, illam Polygnoti Cassandræ, Euphranoris Junoni, Aetionis Roxanæ, Apellis Pacatæ conferat. Ita laudari feminam, ita variis ex elementis ejus effigiem conflari, omnibus mirum videri posse, probe intelligo : quanquam, si et ego uti comparatione velim, nunquam adduci possim ut lucianeam Pantheam horatiano monstro componere audeam. Quum enim Zeuxis, si Dionysio (3) halicarnasseo creditur, haud ita ab simili ratione usus fuerit, ut Helenam pingeret, quid tandem indignemur si pictor et ipse Lucianus pictoris exemplum secutus est ? Sed hæc omitto ; illud autem cave ne credas talem Pantheæ imaginem expressisse Lucianum quia epicuream disciplinam amplexaretur et Epicureorum more quidquid *placeat pulchrum esse* existimaret : quam sententiam in ejus operibus diutissime quæreres, nunquam fortasse reperires. Quid tam alte res repetamus et Epicurum in judicium vocemus ? Epicureum aliquid in genere dicendi Lucianum, jam ante indicavi et mox fusius demonstrare conabor : sed hic omni culpa et crimine Epicurus mihi abesse videtur ; cum

(1) Vide præsertim Zeux. 3 et seq. — Herodot., 5.

(2) Scytha, 9. βούλεσθε οὖν ἤδη ἐπαγάγω τῷ μύθῳ τὸ τέλος ;

(3) De Vet. script. censur., 1.

Lucianus Pantheam tot Deabus comparat, rhetorice, non epicuree facit, laudativi generis jura usurpat neque philosophiæ præcepta sequitur, veteri ducitur consuetudine neque ad nescio quam de summa pulchritudine præconceptam opinionem manum et artem dirigit. Ipse confitetur : quidni confitenti credamus (1)?

Valde vereor ne longius de lucianeis comparationibus videar disputavisse : sed rem et gravissimam et minus claram esse existimavi. Nunc autem tempus est ad id venire de quo præcipue in hoc capite agimus et ostendere quanta comicorum dicendi genus cum lucianeo affinitate sit conjunctum. Et primum illud præmoneo non omnes in singulis partibus et verbis similitudines me persequi et quid cuique debuerit, demonstrare velle : non solum infiniti fere laboris esset, sed etiam

Periculosæ plenum opus aleæ;

quod enim eadem vox, eadem figura, idem proverbium apud comicum aliquem et Lucianum occurrit, non protinus jure inferri potest Lucianum imitatum fuisse, et istius modi similitudo sæpe fortunæ potius quam voluntati tribuenda est. Adde quod solennes quædam locutiones non unius aut alterius propriæ, sed omnibus communes et publicæ, quædam proverbia quasi necessario iis sese offerunt qui quoddam opus tractent, de quibusdam rebus scribant. Ut exemplo utar, apud quem λόγῳ μὲν, ἔργῳ δὲ, σῶμα μὲν, ψυχὴ δέ, ἀλλοτρίως μὲν, οἰκείως δὲ (2), ἄξιόν (3) ἐστι, ἐβουλόμην ἂν (4), βουλοί-

(1) Pro Imagin., 19.

(2) Thucyd., II, 40, 46. — I, 70 et passim. — Cf. Lysi., Orat. funeb.

(3) Isocrat., Orat. cont. Sophist., 5 et pass. — Cf. Lucian., De Luct., 1.

(4) Demosth., Exord., 16, 32, 45. — Cf. Isocrat., Orat. de Pac., 13. — Aristoph., Ecclesiaz., 151.

μην ἄν, ἀντὶ πολλῶν (1) ἂν χρημάτων ὑμᾶς ἑλέσθαι νομίζω inveniam, ille non Thucydidem, non Isocratem, non Demosthenem solum, non unum sed omnes voluisse imitari mihi videbitur. Eadem fere de comicis et Luciano dici possunt : vide enim : imitaturne Aristophanem Lucianus quum iisdem per interrogationem sententiis utitur (τίς; ὅστις; — ποῖον; ὁποῖον; — ὁρᾷς; — ἀληθές); et alia talia sæpe in usu habet? Minime : sed, ut dialogorum scriptor, quotidiani sermonis consuetudinem sequitur. Eubulum (2), quum in meretricibus edendi et bibendi modestiam, Philemona (3), quum in Homero dicendi brevitatem laudat? Antiphanem (4) et Menandrum (5), quum artem adulatoriam *Mercede* (6) *Conductorum* eodem modo quo illi quamlibet artem, judicat aut potius condemnat? Res mihi valde dubia videtur : hæc enim invenire poterat, etiamsi nunquam Eubulum et Philemona, nunquam Antiphanem et Menandrum legisset. Rursus Antiphanem, quum eadem de Cerbero (7) quæ ille de Charonte (8) dicit? Negare nolim : nulla fere major similitudo potest excogitari; affirmare non ausim : quisquis enim de senectute et morte scribit, vix potest Cerberi et Charontis nomen non commemorare.

Cæterum omnes similitudines, quæ parum voluntariæ sunt,

(1) Demosth., Olynth., I, 1. — Exord., 3. — Cf. Isocrat., cont. Sophist., 6.

(2) Fragm. 4, Campylionis, Meineck., III, 227. — Cf. Lucian., Dialog. Meret., VI, 3.

(3) Fragm. incert., 11 (Mein., IV, 37). — Lucian. quom. conscrib. histor., 57.

(4) Κναφεύς, Mein., III, 66.

(5) Piscatores, Fragm., 5. (Mein., IV, 75.)

(6) V.

(7) Dialog. Mort., 21, 1.

(8) Diplasii, Fragm., II. (Mein., III, 47.)

manifesto declarant quam affinis comicis sit Lucianus. Si enim imprudens et nescius comicorum et sententias et verba fideliter effinxit, facile intelligi potest quam assidue illorum opera versaret, studiose edisceret, fideliter percepta atque animo comprehensa teneret. Illud autem etiam manifestius apparebit, si non singulas partes sed perpetuæ orationis colorem consideraveris. Invenies enim antiquis comicis similem esse Lucianum, tum aliis, tum Aristophani, quod comparationes et fere easdem (1) sectatur et eodem modo (2) iterat et continuat, quod lepidas et ridiculas repetitiones (3) adhibet, verba aut audacter fingit aut callida junctura feliciter nova reddit; mediis, quod interdum tragicam affectat (4) gravitatem et in figuris lascivit atque exultat, novis et Menandro præsertim, quod plerumque æquabilem tenet orationis formam; omnibus denique quod longissimis enumerationibus (5) ad excitandum risum valde accommodatis utitur, quod plerumque non astricta quadam verborum comprehensione sententias devincit oratorie, sed ad quotidiani sermonis similitudinem liberas et solutas vagari et excurrere sinit; denique quod ingeniose dicit, neque ullum ridiculi locum prætermittit. Nemo omnium unquam fuit qui turpia subtilius deprehenderet, salsius derideret, nemo qui melius ironiam (6) tractaret,

(1) Equit., 1390 (Σπονδαί). — Pax, 843 et seq. (Θεωρία). — Lucian., Timon, 15-18. Bis accusat., 31 et seq.

(2) Acharnens., 763 et seq. — Lucian., Timon, 15-18.

(3) Jupit., Confutat., ἄτρακτος, 4, 6; εἵμαρτο, 8, 9, 19.

(4) Amores, passim. — Quomod. hist. s. conscrib., 1, ἐμφιλοχωρούσης. Cf. Meineck., Histor. critica comic. g., p. 291 et seq.

(5) Timon, 1. — Cf. Meineck., Frag. comic. g., II, 1078, 1079, 852. — III, 182, 185, 568, 570.

(6) Vitar. auctio, 5. — Piscat., 8. — Hermot., 56, 57.

festivius orationem corrigeret (1), nemo qui magis novas (2) comparationes inveniret, acutius alluderet (3), verbo solertius abuteretur; nemo qui proverbia (4) et clarissimorum auctorum testimonia (5) aut opportunius faciliusque proferret aut callidius (6) detorqueret. Sed hoc ita manifestum est ut nullis egeat argumentis : illud autem minus clarum fortasse Lucianum in eo comicis congruere quod ingeniose dicat. Nonne, objiciet aliquis, nonne potius suam sequitur naturam, nonne alios haud secus ac comicos imitatur? Eum suam sequi naturam, minime omnium infitiabor : sed si alios ac comicos imitatur, qui sunt ergo isti? Velim mihi nominentur. Plato fortasse nominabitur et cæteri dialogorum scriptores : sed hi ipsi quantum comœdiæ debeant, haud semel jam demonstravimus; non autem, Hercule, oratores græci, qui, seu naturæ vitio, seu judicio (id autem libentius crederem), quod ad veritatem causarum auditorumque prudentiam orationem accommodandam curabant, ab ingenioso dicendi genere omnes abstinuerunt. Sit Lysias in orationibus satis facetus : Ciceroni (7) non repugnabo; sed, Quintiliano teste, non idem valet facetum quam ridiculum; sit Demosthenes urbanus : Quintiliano (8) assentiar; sed cum eodem faciam qui urbanitatem illi tribuit, dicacitatem non concedit; aliis virtutibus Isocrates excellat : cum eo non parcius agam : sed quamvis ad speciem et pompam

(1) Piscat., 5.
(2) Hermotim., 31, 35. — Quomod. conscrib. histor., 45; 51.
(3) Prometh., 20. — Charon, 1. — Vitar. auctio, 10. — Piscator, 4. — Cataplus, 7. — De merced. conduct., 35.
(4) Passim.
(5) Passim.
(6) Piscat., 12. — 1.
(7) Orat., 26, 31.
(8) Inst. Orat., VI, 3, 21.

potius quam ad veram pugnam et dimicationem scribat, quamvis famæ potius quam utilitati consulat, quamvis omnia expromat orationis ornamenta, minime tamen omnium ingeniosam orationem sectatur: imo vero ingeniosos aversatur, odit, ironice miseratur, execratur dicerem, si execrari et indignari posset Isocrates. Σεμνύνεσθαι ἐμελέτων (οἱ πατέρες) καὶ οὐ βωμολοχεύεσθαι καὶ τοὺς εὐτραπελοὺς δὲ καὶ σκώπτειν δυναμένους, οὓς νῦν εὐφυεῖς (ingeniosos) προσαγορεύουσιν, ἐκεῖνοι δυστυχεῖς ἐνόμιζον (1). Vide quomodo res humanæ sese habeant ; sæpissime comœdia rhetoribus corruptos mores objicit eosque reipublicæ pestem vocat : nunc rhetor comœdiæ (qui enim melius quam comici scurrarum, dicacium et derisorum nomine designari possunt?) eadem fere crimina remittit : merito-ne an non, nihil ad rem pertinet; sed inde satis aperte declaratur quantum a comica scurrilitate et levitate oratoria majestas gravitasque, Isocratis certe tempore, abhorreret; nec multo minus semper apud Græcos abhorruit, qui suas cuique operi proprias leges præscribebant, suam peculiarem formam assignabant. Itaque quamvis animo, si non genere, Græcus sit Lucianus, nemini tamen græcorum (2) oratorum, Ciceroni potius libenter eum comparaverim : uterque non exilem et jejunam, sed amplam copiosamque orationem adamat, uterque eamdem sententiam pluribus verbis explanat, uterque præsertim ingenium ostentat et dicacitatis famam aucupatur: non dicterio Atheniensium et Græciæ salutem postposuisset Demosthenes : suam ipsius Cicero, suam Lucianus ingeniose mordendi causa neglexit. Cicero sibi in animum induxit de Octavio dicere, juvenem illum laudan-

(1) Areopagiticus, 19.

(2) Nisi forte divo Joanni Chrysostomo, Asiano et ipsi.

dum, ornandum, *tollendum*; lepidissime quidem; sed quid postea? Juvenis ille iratus ipsum Ciceronem ab Antonio *tolli* passus est. Item Lucianus aliquid urbanissimum se facere putans (fatendum est interdum parum sapere ingeniosos homines) falsi prophetæ Alexandri manum, dum se osculari simulat, valde probo morsu momordit (δήγματι χρηστῷ). (1) Rectissime hactenus : sed probus ille morsus ei maximi constitisset, nisi in optimum quemdam nauclerum incidisset, qui Alexandri crudelia mandata exsequi noluit. Quid quod non nunquam Ciceronem ad verbum expressisse Lucianus videtur? « Nisi ineptum putarem in tali disputatione id facere quod, quum de re publica disceptatur, fieri interdum solet, jurarem per Jovem Deosque penates me et ardere studio veri reperiendi et ea sentire quæ dicerem ». Sic Tullius (2); audi nunc Lucianum : καὶ πρὸς Χαρίτων, μηδεὶς ἀπιστήσειε τοῖς λεχθησομένοις · ὅτι γὰρ ἀληθῆ ἔστι κἂν ἐπωμοσαίμην, εἰ ἀστεῖον ἦν ὅρκον ἐντιθέναι τῷ συγγράμματι (3). Rursus Cicero (de nat. Deorum, 1, 30) : « Isto modo dicere licebit Jovem semper barbatum, Apollinem semper imberbem, cæsios oculos Minervæ, cœruleos esse Neptuni ». Confer Lucianum (de sacrif., 11) : οἱ δὲ (Πραξιτέλης, Πολύκλειτος, Φειδίας) οὐκ οἶδ' ὅπου ἰδόντες ἀναπλάττουσι γενειήτην μὲν τὸν Δία, παῖδα δ' ἐσαεὶ τὸν Ἀπόλλωνα καὶ τὸν Ἑρμῆν ὑπηνήτην, καὶ Ποσειδῶνα κυανοχαίτην καὶ γλαυκῶπιν τὴν Ἀθηνᾶν. Denique vide quæ de Epicuro dicat Tullius (4) : « Unum vidisse verum maximisque erroribus animos hominum liberavisse et omnia tradidisse quæ pertinerent ad bene beateque vivendum »; eadem omnino Lucianus : « Ἐπικούρῳ τιμωρῶν, ἀνδρὶ ὡς ἀληθῶς

(1) Alexand. vit., 55.
(2) Academic., 1, lib. 2, 30.
(3) Quomod. hist. conscrib., 14.
(4) De Fin., 1, 5.

*ἱερῷ καὶ θεσπεσίῳ τὴν φύσιν καὶ μόνῳ μετ' ἀληθείας τὰ καλὰ ἐγνωκότι καὶ παραδεδωκότι καὶ ἐλευθερωτῇ τῶν ὁμιλησάντων αὐτῷ γενομένῳ* ». Quid ad perfectam absolutamque similitudinem desit, non video : nec vero eam fortuitam esse existimare possum. At enim aliquis contendet unum fuisse exemplar græcum quod et Cicero et Lucianus pariter imitarentur : neque id valde probo (1), tum ob alias causas, tum quod locus quem primum attuli, non græcum sed romanum et ciceronianum redolet ingenium. Longe igitur malo credere Tullium a Luciano et lectum et expressum fuisse : viderint modo docti homines qui illum latine omnino nescivisse contendunt.

(1) Vide tamen Menandrum (Meinek., IV, 335).

# EPILOGUS.

Omnia fere quæ comici cum Luciano habent communia mihi videor esse exsecutus : restat nunc, ut huic opusculo finem imponam, quærendum illud, cui omnium maxime debuerit, quid ipse proprium habuerit, et, denique, quid de illo existimandum sit.

Et primum, haud ægre apparet Lucianum ex Aristophane potissimum pendere. Assumpsit quidem a nova comœdia meretricios dialogos, philosophiæ amorem, Deorum contemptum; a media allegorias et Parasitum : sed quanto plura ab Aristophane mutuatus est! Illius instar nominatim personas traducit, et sæpe etiam easdem, Cleonem scilicet, Calliam, Hyperbolum, Hipponicum et Socratem : eadem audacia mirabilia fingit, eadem acrimonia et acerbitate in privatos hostes invehitur, eadem incuria sæpius verisimilitudinem et diversarum partium congruentiam negligit, eumdem ordinem rerum sequitur, eamdem dicendi formam affectat. Quid multa? Ipse et quantum antiquæ comœdiæ debuerit, in *Prometheo* satis clare, in *Bis accusato* aperte declarat, et Aristophani quantam potest gratiam ingeniose refert in *Vera Historia*, dum se urbem Nephelococcygiam vidisse affirmat, eosque vituperat qui Aristophanem mendacii arguerint (I, 29).

Hæc satis habui de similitudinibus dicere : jam venio ad dissimilitudines, quæ et multæ et graves sunt; id autem Luciano non gratulari non possum. Si enim semper imitari comicos satis habuisset, illis comparari nullo modo posset. Qui enim semper sequitur, semper posterior sit necesse est. Cujus rei apud ipsum Lucianum non pauca

exempla occurrunt : lepidum sane Timonis decretum (1) : lepidius tamen mulierum (2) jusjurandum; salsus idem Timon (3), qui a Demea impudenter mentiente laudatus quod solus mille Lacædemonios internecione deleverit, sua ei verba regerit, dum frustra clamantem plagis conficit : salsior vero Pisthetærus, qui falso vatis oraculo falsum oraculum opponit et suam ei cantilenam (λαϐὲ τὸ βιϐλίον) opportunissime et ingeniosissime remittit (4); festivus Micyllus, (5) qui, ceteris mortuis vere dolentibus gementibusque, ficto dolore ironice ejulat : longe festivior Dicæopolis (6), dum suam felicitatem longissime et crudelissime Lamachi infortuniis comparat; solertissimus Megapenthes (7), qui vitæ amore et mortis odio alias super alias causas invenit ut ad terras remittatur, moras nectit ut quam tardissime ad inferos descendat : solertior tamen improba Myrrhine (8), quæ conjugem Cinesiam longo supplicio enecat, dum ejus amori semper se velle obsequi simulat, et nunquam obsequitur. Removendus est puer : removetur; afferendus lectus : affertur, substernendum stragulum : substernitur; supponendum pulvinar : supponitur; fundendum unguentum : funditur; quum autem jam omnia parata videntur, pessime ornatum nequissima relinquit. Ridiculus Thrasycles (9) philosophus, qui, dum divitias se despicere profitetur, Timoni suadet ut aurum, aut in mare mittat, non

(1) Timon, 42.
(2) Lysistrata, 212 et seq.
(3) Timon, 53.
(4) Aves, 972 et seq.
(5) Cataplus, 20.
(6) Acharnens., 1190 et seq.
(7) Cataplus, 8-14.
(8) Lysistrata, 870-952.
(9) Timon, 56-57.

alte tamen, et se uno vidente, aut egentibus distribuat, ita tamen ut philosophi duplam partem accipiant : ipse (videte hominis modestiam) erit contentus si peram suam viderit plenam : magis ridiculus fortasse, venustior certe Aristophanea coronaria (1). Audite illam querentem et Euripidi multa mala precantem : nullas jam coronas vendit, liberos alere non potest, ex quo sceleratus ille Euripides nullos Deos esse hominibus persuasit. Quis mulierem non miseraretur, quis Euripidem non execraretur? sed finem expectate. Cum multa deblateravit bilemque effudit, abire properat : scilicet ei viginti coronæ imperatæ sunt : quod inventum haud Molierio (2) indignum.

Itaque, si Aristophanem tantum effingere voluisset, longe inferior esset, quippe qui illius vim, impetum et etiam venustatem, seu naturæ vitio impeditus, seu angustis dialogorum finibus coarctatus, raro assequatur. Sed non ita se res habet : sæpissime enim Aristophanis aliorumque comicorum vestigia audet deserere, dum aut alia, aut eadem, sed novo modo, argumenta tractat. Plurima de feminis comici : haud adeo multa Lucianus; rursus pauca de superstitione, de amore gloriæ, nihil aut fere nihil de testamentorum captatione, de historicis, reliquerunt comici, multa autem et gravia Lucianus. Jam vero in oratione neque pauciora neque leviora discrimina facile deprehendes. Aristophane æquabilior est Lucianus, Menandro asperior, ne dicam atrocior, et lætior festiviorque : Menandri illam sermonis tristitiam vel minime omnium amat et sectatur, imo vero odit et aversatur. Multo sæpius quam comici proverbiis utitur, multo crebrius scriptorum

(1) Thesmophoriaz., 446-458.

(2) Les Femmes Savantes, Acte III, Scène V.

locos affert, multo pluribus comparationibus, imaginibus, longisque descriptionibus abundat. Comparant et ipsi comici, sed brevius et rarius; imagines faciunt : quis Aristophaneam Demi effigiem ignorat? Sed minus longas, minus accuratas ; describunt, sed quadam necessitate coacti; non describunt ad describendum, ad æmulandum pictoribus, quod se facere Lucianus ipse confitetur. Agnoscendum autem, ut nimis multæ imagines et descriptiones (de comparationibus supra satis dictum esse existimo) apud Lucianum occurrunt, ita plurimum veritatis, jucunditatis suavitatisque illas habere. Quam *Calumniæ* effigiem, quam conditionis *Mercede conductorum*, quam bonæ et malæ rhetoricæ Lucianus expresserit, omitto; sed vide quomodo philosophos depingat (1) : « Est hominum genus, non ita diu seculo, spumæ instar, innatans, pigrum, contentiosum, inanis gloriæ cupidum, iracundum, gulosum, stolidum, inflatum, contumeliosum, ut Homerico verbo utar, *telluris inutile pondus*, circumposito sibi augusto virtutis nomine, superciliis sublatis, demissis barbis, circumeunt ficto habitu, despuendos mores occultantes, similes maxime illis tragicis actoribus, quorum si personas auferas et amictum illum auro intextum, quod relinquitur, ridiculum est, homuncio septem drachmis ad certamen illud conductus. Tales vero cum sint, homines quidem omnes contemnunt, de Diis autem absurda narrant, conductisque adolescentulis ad decipiendum opportunis, et virtutem illam multis sermonibus tritam tragico clamore prædicant, et disputationes edocent quæ exitum non habent, et apud discipulos quidem tolerantiam semper et patientiam laudant divitiasque et voluptatem despuunt : soli vero secum, quid dicat

(1) Icarom., ~~31.~~ 29-32

aliquis, quæ edant, quam venerem exerceant, ut sordes delingant obolorum? Gravissimum vero hoc omnium est quod, nullam ipsi neque communem rem neque suam in medium conferentes, sed inutiles et supervacanei,

> Non habiles bello, non consultantibus apti,

tamen accusant reliquos, et sermonibus quibusdam amaris congestis, maledicta quædam meditati, increpant et reprehendunt alios, atque ille inter ipsos ferre primas videtur, qui et vocalissimus et impudentissimus et ad maledicta audacissimus. Atqui, si eum qui contendit et clamat et accusat alios, interroges : Tu vero quid agis? aut quid te dicamus, dic per Deos, ad vitam conferre? dicat sane, si justa velit et vera dicere : Navigare quidem, aut agrum colere, aut militare, aut artem quamlibet tractare, superfluum mihi videtur : sed clamo, et squaleo, et frigida lavor, et nudis pellibus per hiemem circumeo, et, velut Momus, quæ ab aliis fiunt, ea calumnior. Et, si quis divitum sumptuose obsonavit, aut meretricem habet, de hoc laboro atque indignor : si vero amicorum aliquis aut sodalium decumbit, ægrotus, auxilio et curatione indigens, ignoro. » Hanc habemus effigiem ita plenam, ut nullum lineamentum addi possit, ita lætam, ut nihil festivius sit, ita veram, ut philosophos cum barbis et vestitu incedentes, habitu virtutem simulantes, factis prodentes, in publico probitatis personam induentes, in secreto deponentes nobis videre videamur.

Innumerabilia fere alia ejusmodi exempla afferre possem; possem commemorare quomodo ad vivum expresserit Lucianus sutorem Micyllum læte e vita exeuntem ad primum

mortis signum (1), amatoria Ixionis (2) artificia, meretricios Chariclеæ (3) dolos, quibus lenociniis Diniam ad amorem sollicitet et quasi in sua retia vocet, qua solertia irretitum retineat, qua insatiabili avaritia penitus exhauriat, qua perfidia ad inopiam redactum derelinquat et ad novam prædam transvolet. Sed modus in rebus : nequeo tamen animo imperare quin hunc quoque locum afferam : Mercurium (4) edocet Plutus quæ fieri soleant ubi quis dives decessit. « Cum mihi (Plutus loquitur) ab alio ad alium migrandum est, me in tabulas testamentarias conjiciunt ac diligenter obsignantes domo me bajulorum opera efferunt : interea mortuus in obscuro aliquo ædium loco jacet, detrito linteo obtectis genibus, dum circa ipsum decertant feles, ejus cadaver attingere gestientes; me autem ii qui tandiu speraverant, ad forum itidem ut hirundinem advolantem pulli exspectant. Ubi autem sublatum est sigillum et lineum testamenti vinculum incisum est, tabulæque apertæ, ac novus opum dominus declaratus est, cognatus aliquis, aut assentator, aut servulus denique qui ad obsequium venereum præsto erat, et ea gratia cæteris prælatus omnibus, rasa etiamnum barba, magnum pretium ferens tot voluptatum quas hero attulit, dum se jam exoletus, ei perdepsendum obsequiose permittit. Is igitur, quisquis tandem sit, cum testamenti tabulis me arripiens curriculo domum contendit, mutato repente nomine, ut, qui antea Byrria vel Dromo aut, si mavis, Tibius vocabatur, deinceps Megacles, Protarchus aut Megabyzus dicatur : illos incassum hiantes et inter se aspicientes relinquens, dolore non ficto lugentes, qui

(1) Cataplus, 15.
(2) Dialog., D. 5.
(3) Toxaris, 13-17.
(4) Timon, 21-24.

tantum thynnum ex intimo sagenæ recessu elapsum, post opimam escam consumptam, amiserint. In me igitur irruens talis vir, rerum bonarum imperitus, stolidus, qui pedicas etiamnum exhorrescit, et, si quis temere præteriens loris increpuerit, arrectis auribus repente resistit, pistrinum autem velut templum adorat : talis, inquam, vir iis quibuscum versatur, non amplius tolerabilis, sed in homines liberos contumeliosus est, conservos autem suos flagellis urit, quasi experiendi gratia num id sibi quoque liceat; usque adeo donec meretriculam aliquam nactus, vel equorum alendorum studio insaniens, aut assentatoribus se totum tradens, dejerantibus formosiorem ipsum Nireo esse, Cecrope aut Codro nobiliorem, Ulysse prudentiorem, sedecim simul una Crœsis ditiorem, puncto temporis ea effundat infelix quæ unciatim ex multis perjuriis, rapinis ac fraudibus sibi peperit ». Quis visionibus concipiendis adeo tardus, qui non sibi repræsentet mortui corpus indigne neglectum, testamentum religiose obsignatum, solemni pompa in medios prolatum, spe destitutos hæredes veras lacrymas fundentes, novum divitem insana lætitia exsultantem, tantæ fortunæ mutationi vix credentem et male parta male dissipantem? Quid videremus amplius si adessemus ipsi?

Quis tales descriptiones non vehementer miretur, nedum graviter vituperet? Præsertim cum, etiamsi dramatis naturæ parum congruant, etiamsi fabulæ cursum morentur, non magis tamen noceant quam prosint. Quamvis enim comicos imitaretur Lucianus, non obliviscendum est illi verum theatrum, veram scenam defuisse in quam ante oculos spectatorum personas traduceret, sed ita veras imagines facit, ita fideliter describit et depingit, ut orationis veritas et evidentia (ἐνάργεια) theatri et scenæ vicem quodam-

modo supplere possit. Proinde, aliam viam ingressus quam comici, eodem tamen tendit et pervenit.

Nunc quum demonstravimus quatenus et similis et dissimilis sit comicorum Lucianus, videndum est quid tandem novi de suo protulerit. Id autem ne ignoremus, ipse nos edocendo curavit, haud magnifice de se loquens et quasi veritus ne minus bene propositum assecutus sit. Volui, inquit, duas res pulcherrimas, dialogum scilicet et comœdiam, conjungere : sed timeo « ne utriusque pulchritudinem ipsa mixtura corruperit. Neque enim consueta inter se atque affinia ab initio dialogus et comœdia fuere : si quidem ille domi et seorsum, mehercule, in ambulacris cum paucis quibusdam disputationes suas habebat : hæc vero Baccho se totam tradens, in theatris versabatur simulque ludebat, et ad risum movebat, gaudebatque salibus et dicacitate, et ad numeros tibiæ incedebat. Interdum etiam anapæsticis versibus vecta, Dialogi sectatores, ut plurimum subsannabat, *meditatores*, ac *vanos sublimium rerum disceptatores*, et id genus alia vocitando. Eique id cordi erat ut eos sugillaret et Dionysiacam istam libertatem in eos effunderet; nunc *in aere ambulantes* et *cum nubibus versantes* illos exhibens, nunc *pulicum saltus metientes*, ut qui de aeriis et sublimibus istis rebus nimis exiliter argutarentur. Dialogus vero gravissimas disputationes habebat de natura rerum et de virtute philosophans : ita ut, musicorum illud, bis per omnes chordas ab acutissimo ad gravissimum usque inter eos esset. Et tamen ausi fuimus nos, hæc ita sese habentia, inter sese conjungere et coaptare, non admodum obsequentia, neque facile societatem sustinentia (1) ». Quod dubitat Lucianus feliciter-ne, an non,

(1) *Prometh. in verbis.*

diversissimas res copulaverit, nimis modeste facit : quod autem gloriatur se primum comœdiam dialogo conjunxisse, multi sine dubio mirabuntur. Illud omitto quod apud Platonem (quem tamen ex omnibus dialogorum scriptoribus potissimum innuere videtur Lucianus) non semper Dialogus nubes et inania captat, de rerum natura disputat, subtiliter et exiliter dicit, sed nonnunquam in terras descendit, de moribus disserit, amplam, copiosam et poeticam adamat orationem, comicorum sales, dicacitatem festivitatemque æmulatur. Sed quid quod nova comœdia a philosophis tota dependet? Quam sententiam et supra defendimus et nunc deserere nolumus. Animadvertendum est autem comicos, quamvis doceant, docere minus quam delectare et mores docte imitari studere, Lucianum vero, quamvis lectorum voluptati consulat, ad utilitatem tamen potius spectare. Deinde, et id gravissimum, non novam aut etiam mediam respicit comœdiam Lucianus, sed antiquam, cujus poetas, aut aperte nominat, aut non ambigue designat. Quis enim nisi antiquorum coryphæus, nisi Aristophanes dialogorum scriptores μετεωρολέσχας, φροντιστάς vocabat eosque exhibebat ψυλλῶν πηδήματα διαμετροῦντας? Nunc tandem habemus quid voluerit dicere Lucianus, nec possumus illi non assentiri. Aristophanes enim, ut cæteros antiquæ comœdiæ prætercam, plerasque fabulas in privatis et proprie ad solos Athenienses pertinentibus argumentis inclusit. Quid sibi proposuit in *Acharnensibus*, *Pace* et *Lysistrata?* Pacis bona, belli mala Atheniensibus ostendere. Quid in *Nubibus?* Eisdem Atheniensibus sophistas invisos facere. Quid in *Equitibus?* Cleonem invisum populo facere, sua multitudini vitia monstrare ut resipisceret et ad meliorem frugem rediret. Quid in *Ranis* et *Thesmophoriazusis?* Euripidem insectari quod mollibus

et effeminatis versibus juventutis mores corrumperet. Quid in *Vespis?* Atheniensium φιλοδικίαν exagitare. Quid in *Avibus?* Omnia fere civium vitia carpere. Eum ita egisse non succenseo : optime etiam de civibus meruisse, quum moneret longo bello finem imponerent, litium amorem exuerent, oratorum nequitiam, tragœdiæ parum virilis corruptelam respuerent, primus omnium libentissime concedam. Sed tamen civis, non philosophi partes agit, nihil ultra cives et Athenas, nihil ultra suam ætatem et urbem spectat. Si quos peregrinos aut potius barbaros, ut Græci vocabant, inducit in scenam, ridiculam semper eis personam imponit. Longe alia Luciani ratio : sive enim poetarum fabulas deridet, sive philosophorum vanitatem exagitat, sive gloriæ amorem et superstitionem lacessit, non uni populo, sed omnibus consulit, non suam tantum ætatem, sed omnes respicit. Græcos quidem maxime omnium diligit et miratur, non ita tamen ut apud eos omnia probet, et barbaros contemnat; imo vero barbarorum tota Græcia contemptissimos magni æstimat, Scythas dico : Scytha est Toxaris, quem de amicitia magnificentissima loquentem facit; Scytha Anacharsis ,cui præclarissimas partes assignat. Nunquam autem clarius apparet quantum a comicis recedat Lucianus, quam quum eorum vestigia proxime et diligentissime premit. Quod enim opus alteri, quam *Timon* Luciani *Pluto* Aristophanis, similius esse potest? In quibus idem consilium, eumdem ordinem, easdem sententias invenis. Gravissimam tamen differentiam, illam scilicet, de qua supra diximus, facile deprehendes, si vel paulum attenderis. Etenim apud Aristophanem nulla persona, apud Lucianum omnes fere philosophantur. Philosophatur Timon: vide enim quam libere, ne dicam impie, de Jove ad Jovem ipsum queratur. ὦ Ζεῦ φίλιε, καὶ ξένιε, καὶ ἑταιρεῖε, καὶ ἐφέστιε, καὶ ἀστεροπητὰ,

καὶ ὅρκιε, καὶ νεφεληγερέτα, καὶ ἐρίγδουπε, καὶεἴ τί σε ἄλλο οἱ ἐμβρόντητοι ποιηταὶ καλοῦσιν, καὶ μάλιστα ὅταν ἀπορῶσι πρὸς τὰ μέτρα... ποῦ νῦν σοι ἡ ἐρισμάραγος ἀστραπὴ, καὶ ἡ βαρύβρομος βροντὴ, καὶ ὁ αἰθαλοεὶς, καὶ ἀργηεὶς, καὶ σμερδαλεὸς κεραυνός; Ἅπαντα γὰρ ταῦτα λῆρος ἤδη ἀναπέφηνε, καὶ καπνὸς ποιητικὸς, ἀτεχνῶς ἔξω τοῦ πατάγου τῶν ὀνομάτων. Τὸ δὲ ἀοίδιμόν σου καὶ ἑκηβόλον ὅπλον καὶ πρόχειρον, οὐκ οἶδ' ὅπως τελέως ἀπέσβη καὶ ψυχρόν ἐστι, μηδὲ ὀλίγον σπινθῆρα ὀργῆς κατὰ τῶν ἀδικούντων διαφύλαττον. Et eodem modo in Jovem longissima oratione invehi pergit : qualis autem sit ista oratio, e principiis facile est judicatu, quoniam primis et media et postrema vel maxime respondent et concordant. Philosophatur Paupertas : non jam, ut apud Aristophanem, fuse et serio, quæ corpori bona; minus fuse, minus serio certe, quæ animo afferat, commemorat et exponit; imo vero corpori animum videtur præferre, *Sapientiam* sibi comitem adjunxit, *Virtutis* nomen in ore habet, et Plutum gravissime incusat quod *Injuriam* et *Insolentiam* secum trahat. Philosophatur Jupiter ipse, quamvis philosophorum immodestiam et impietatem execretur, quamvis philosophum Anaxagoram fulmine obruere conatus sit. Quid enim? Plutum avaris et prodigis pariter iratum hortatur ne adversus illos indignetur; utrosque enim satis pœnarum dare quum illi « veluti Tantalus ore sicco et jejuno perstent ad auri aspectum rictu diducto hiantes, hi autem ut Phineus ex penitissimis faucibus ab Harpyis eripi videant » (1). Jam vero ipse ingratos amicos qui Timonem egenum dereliquerunt, invidiæ (2) torquendos tradere satis habet : novum sane supplicii genus nec indignum quod ab Epicuro inveniretur. De Thrasycle nihil dico : philosophum enim philosophari et suam artem exercere, quis miretur? Illud tantum mo-

(1) Timon, 18.
(2) Timon, 10.

nebo, hunc totum esse lucianeum: neque enim Aristophani, sed Luciano æqualem agnosces, et unum ex istis Cynicis in quibus turpissimam, flagitiosissimam, impudentissimamque factorum et dictorum discrepantiam tam pertinaciter, tam infense, tam ridicule noster exagitavit.

Philosophiam ergo comœdiæ Lucianus conjunxit : quam autem, jam supra diximus. Epicuream scilicet disciplinam probat : ut Epicurus, vulgus respuit, amicitiam plurimi facit, ut qui de amicitia totum libellum scripserit; ex tribus philosophiæ partibus dialecticam contemnit et in physicis parum videt. Attende enim quo modo mathematicos exagitet : « Ridebis, si audias superbiam illorum et prodigiosam in disputando audaciam, qui primum constituti in terra, et nobis qui humi repimus nihilo eminentiores, sed neque acutius quovis alio cernentes, quidam vero etiam præ senectute vel pigritia cæcutientes, tamen et cœli se fines pervidere dicerent, et solis circuitum metirentur, et per ea quæ supra lunam sunt, incederent : et tanquam de stellis delapsi magnitudines illarum et formas enarrarent; quique, cum sæpe fortasse neque a Megaris quot stadia sint Athenas usque, accurate nossent, interjecta inter lunam et solem regio quot sit ulnarum auderent dicere : aerisque altitudines, et profunditates maris, et terræ circuitus dimetientes, insuper vero describentes circulos, et triangula super quadratis formantes et sphæras quasdam varias, cœlum nempe ipsum permetientes (1) » : quasi vero Lyncei solum et Iolai mathematicam artem exercere possent. Ita intemperanter ingenio Lucianus indulget, ut parum sana effutiat; ita immodice rationi sensum communem anteponit ut non

(1) Icaromenipp., 6.

minus a communi sensu quam a ratione abhorrentia effundat. Sed Epicuri sequitur exemplum, cui si creditur,

> Nec nimio solis major rota nec minor ardor
> Esse potest, nostris quam sensibus esse videtur (1);

sequitur quoque, quum eam philosophiæ partem quæ ad mores pertinet, unice diligit, quum se veritatis amantem esse profitetur, mendacio inexpiabile bellum indicit; illud tamen habet fortasse proprium quod plus etiam mendacium odit quam veritatem amat. Cur enim tam acriter, tam sæpe epicos poetas insectatur? Quia fabulosa de Diis et Inferis narrant. Cur tantopere philosophos illudit? Quia impudentissime mentiuntur, dictis probi, factis improbi reperiuntur, in publico virtutis personam induunt, [illegible] secreto deponunt. Cur divitias, honores, gloriam insectatur? Quia veram promittunt, falsam præstant felicitatem:

Eamdem fere novitatem in Luciani oratione quam in rebus invenies : nempe hic quoque philosophiæ comœdiam copulavit : a comicis dependet, quod ridicule et ingeniose; a philosophis, quod epicuree dicit. Lucianus epicuree dicit! Multi sine dubio vehementer repugnabunt, quoniam nec existimator nec scriptor bonus Epicurus vulgo habetur. Respondere possem illum nominis infamia fortasse premi : laudamus Horatium dicentem :

> Verbaque provisam rem non invita sequentur;

laudamus Bolæum Horatii dicta ad verbum fere convertentem :

> Ce que l'on conçoit bien s'énonce clairement,
> Et les mots pour le dire arrivent aisément.

(1) Lucret. V. 566.

Sed Epicuro si libuerit asserere « non laboriosum (1) esse scribere », omnes in illum irrumpent, illius vocem opprimeut. Quid ergo? Solum Epicuri nomen suspectum est; et, quamvis eamdem fortasse quam Horatius et Bolæus sententiam expromere voluerit, omnes suspicantur, omnes interpretantur Epicurum ita suo sapienti τὴν ἀταραξίαν præscribere, ut eum vel a scribendi labore deterreat. Possem Senecæ auctoritatem allegare qui eamdem virtutem, scilicet elegantiam, Epicuro concedit, quam Tullius non tribuit; possem imprimis allatos a Seneca locos, eosque non paucos, commemorare, e quibus multa acute, multa ingeniose, multa lepide Epicurum dixisse satis apparet. Sed tamen pleraque ignave et ineleganter Epicurus scripserit : esto, per me licet, et Tullio potius quam Senecæ credere volo. Sed eidem credam quoque declaranti Epicurum « et complecti verbis quod velit et plane dicere ». Quod quidem comprobat Diogenis Laertii testimonium : quem si audimus, ita propriis et dominantibus verbis uti solebat Epicurus, ut ei vulgarem orationem Aristophanes grammaticus objiceret, ita clarus erat ut in libro *de Rhetorica* nihil aliud quam clare eloqui ab oratore postularet. Haud equidem ignoro Diogenem contra se quodammodo nobis arma præbere; quum enim tres epistolas Epicuri integras afferat, in prima et secunda multa adeo obscura occurrunt ut vix intelligi queant : sed cui assignanda est culpa? Epicuro? ipsi materiæ? librariis? Omnibus fortasse, et ipsis lectoribus, si qui philosophiam leviter tantum et quasi primoribus labris attigerunt. Nam quid tandem est cur tertia duabus aliis longe clarior sit, nisi quod in materia versatur minus abstrusa, minus recondita, quam facilius et explicare auctor,

(1) Dionys. Halicarn., de composit. verb. 24 fin.

et lector percipere possit? Sed fac totam Epicuri culpam esse; nolim tamen protinus illum inconstantiæ et obscuritatis, Diogenem, Aristophanem et Ciceronem ipsum erroris et inscitiæ damnare; tum, quod e paucis non omnia Epicuri scripta satis bene judicari possunt; tum, quod in illis epistolis, ut ipse nos monet, totam suam disciplinam breviter et summatim complecti voluit : raro autem accidit ut, qui breviter, idem clare dicat. Num levitatis et temeritatis Quintilianum damnamus, quod in Aristotele suavitatem (1) eloquendi laudat, cum hæc virtus ex Aristotelis *de Rhetorica* libris nobis omnino abesse videatur? Minime. Quis enim non videt commentarios festinanter, fortasse etiam negligentius ad usum discipulorum scriptos, non iisdem virtutibus, quibus opera lente et accurate perfecta, abundare posse? Eadem fere in causa Epicurum et Aristotelem esse existimo : sed etiamsi errem, etiamsi Epicurus quam tantopere aliis commendabat perspicuitatem, ipse neglexerit, epicureum tamen in genere dicendi Lucianum esse contendo, et apud eum magistri præceptum potius quam exemplum valuisse. Nihil aliud tam vehementer quam clare eloqui præcipit Lucianus : « ὡς τῇ γνώμῃ τοῦ συγγραφέως σκοποὺς ὑπεθέμεθα, παῤῥησίαν καὶ ἀλήθειαν, οὕτω δὲ καὶ τῇ φωνῇ αὐτοῦ, εἷς σκοπὸς ὁ πρῶτος, σαφῶς δηλῶσαι καὶ ἐμφανώτατα ἐμφανίσαι τὸ πρᾶγμα : Epicuri dictata videtur recitare. Neque autem has leges aliis præscribit, ipse non servat, imo vero orationem semper sectatur ita illustrem, ut nunquam caligent lectores, ita planam, ut nunquam hæreant. Nulloque alio indicio (de indiciis solum loquor quæ ex ipso dicendi genere colliguntur, dubiis sane et levibus, non tamen omnino contemnendis), aut facilius aut certius agnosces genuinum-ne sit, an non, hoc aut illud

(1) Inst. Orat. X, 1, 83.

opusculum quod sub nomine Luciani fertur : si clara, si lucida, si perspicua est oratio, quamvis luxurie quadam, intemperantia, talibusque vitiis non careat, opus Luciano tribui potest : non potest, si implicata, obscura et quasi tenebris involuta, etiamsi eloquentiam quamdam præ se ferat, et lepore, venustate aliisque virtutibus abundet.

Cæterum, nihil mirum si et Epicurus et Lucianus perspicuitatem tanti fecerunt : id enim natura et quasi necessitate quadam omnibus fere accidit qui omnia judicia rerum in sensibus ponunt. Ardentibus quidem illis animi motibus et quasi divina flamma ingenii carent quæ summam hominum admirationem rapit, summos facit clamores; nihil elatum, nihil magnificum sentiunt, sed quidquid parum certi, quidquid dubii est, aversantur, nihil fere quærunt et amant quam quod oculis intuendum et manu fere pertractandum dare possint, plane eloqui unice student, *cane pejus et angue* sermonis obscuritatem fugiunt. Quis enim Lockio clarior? Quis Condillacio planior? Quis Voltario lucidior? Voltarius autem ita Luciano similis est, ut non immerito gallicus Lucianus vocetur. Ut Lucianus, dialogos scripsit, liberius quidem et minus comicos exprimere quærens, religionem impugnat, probitatis simulationem maxime omnium execratur, moralem philosophiæ partem solam amplectitur, cæteras valde negligit. Neque hæc ita dico ut Luciani instar omnes de Deo, de animorum immortalitate disceptationes anilibus fabellis annumeret. Minime : imo vero Voltarius (hanc enim ejus laudem eo magis mihi libet agnoscere, quod non pauci odio abrepti memoriæ ejus ἀθεότητος notam inurere voluerunt) semper constantissime contendit, et Deum esse, et, in altera post hanc vitam terrestrem vita, bonos præmiis, malos pœnis non posse non afficere. Sed tamen, cum de immortalitate animorum agit, nihil

aliud fere quam fatetur se dubitare, hærere, nihil clari videre, rem leviter attingit, non penitus scrutatur, non alte introspicit : veretur nempe ne in obscuritatis crimen cadat quod vel maxime omnium reformidat. In hoc *sapientis*, ut ipse vocat, Lockii discipulum, ut in Luciano *divini* Epicuri alumnum facile agnosces.

Videndum nunc quid tandem de Luciano existimandum sit, seu ejus sententias, seu dicendi genus consideraveris. Alii quidem illum immodicis laudibus extollunt, contenduntque non solum rhetoricam et philosophiam, quod quivis facile concederet, sed etiam grammaticam, medicinam, astrologiam, *politicam*, uno verbo omnes artes optime nosse, omnibus virtutibus abundare, nullo vitio laborare : quos si audiret Lucianus, mirarer ni primus omnium ipse suos laudatores irrideret. Alii contra gravissimis eum opprobriis onerant. Ego vero neque illis, neque his prorsus assentior. Lucianum improbo, quum non solum falsam, sed veram religionem, philosophiam, astrologiam insectatur, quum non solum leves et contemnendos, sed gravissimos homines et summa veneratione dignos in scenam deridendos traducit, quum privatos inimicos intolerabilibus probris lacerat et ad fœdissima crimina descendit. Improbo, quum hominum immolationes ridere satis habet, quasi ingenio solum esset præditus, omni affectu careret, quum patris luctum de nati morte mœrentis indigne illudit ipsique filio ingeniosam quidem, sed vel maxime impiam, orationem affingit. Improbo, quum Christianorum caritatem exagitat, et eos stultitiæ damnat quod omnes homines fratres esse crederent. Vide enim quid acciderit : Lucianus quamvis ingenio et doctrina floreret, nullum aut fere nullum habuit discipulum qui ad meliorem frugem et ipse rediret et alios revocaret. Isti vero stulti quos lepidissime, ut sibi

videbatur, irriserat, omnes homines habuerunt discipulos, emendaverunt, correxerunt; illa vitia, illos animi morbos quos sanari posse omnino diffidebat (1) Lucianus, felicissime sanaverunt; illam inter divites et pauperes æqualitatem (2) quam solum inani spe et quodam ingenii lusu optabat potius quam sperabat Lucianus, illi non fictam et commentitiam, sed veram et certam præstiterunt, et multo potentius mutuo amore et religione confirmaverunt quam ridicula ista Saturni falce et columna (3), quas maxime omnium ipse Lucianus contemnebat.

Non igitur ex omni parte Lucianus mihi probandus videtur, sed neque vituperandus. Imo vero laudo illum, quum adversus divitum superbiam, luxuriam, importunitatem, adversus pauperum humilitatem, ignaviam, stultamque admirationem ardentissime et eloquentissime invehitur, quum clarissime et ingeniosissime ostendit nihil discriminis post mortem esse inter opulentos et egenos, reges et mendicos, formosos et turpes, quum prædicat et secundam et adversam fortunam æquo animo ferendam esse. Laudo, quum omnia humanæ naturæ mala subtilissima ingenii acie perspicit quæ nunquam, aut auri fulgore, aut honorum pompa, aut habitus insolentia perstringitur. Laudo, quum omne mendacium, omnem vanitatem sub carminum voluptate, sub tritis philosophorum palliolis deprehendit, quum omnem jactantiam, omnem fallaciam acerrime, infestissime et quasi capitali odio insectatur.

Si ad dicendi genus venitur, eumdem modum tenere conabor. Non omnibus numeris absolutissimum et perfec-

(1) Charon, 21.
(2) Chronosol., 12, 18.
(3) Saturnal.

tissimum esse Lucianum contendam, non exemplar et quasi κανόνα atticismi profitebor, non omnibus satirarum et comœdiarum scriptoribus anteponam. Fateri minime gravor, eruditionem, ingenium, dicendi facultatem nimis sæpe ostentat, in verbis redundat et superfluit, verisimilitudinem et partium congruentiam negligit. Sed quantum obtinet in dicendo gratiæ, quantum in jocando leporis, in mordendo aceti! Ut titillat allusionibus, ut seria nugis, nugas seriis miscet, ut ridens vera dicit, ut vera dicendo ridet, ut hominum mores, affectus, studia quasi penicillo depingit neque legenda sed plane spectanda (1) exponit! Cæterum, si qua merito, non pauca immerito objecta sunt Luciano crimina. Nonnulli enim illum reprehendunt quod sententias frangat neque numerosa verborum comprehensione devinciat: sed naturam et quotidianam sermonis consuetudinem, comicos, Lysiam ipsum sequitur: qui, teste Dionysio Halicarnasseo (2), *pericdis* abstinebat, et rectissime quidem : ubi enim, ut ait Quintilianus (3), ars ostentatur, veritas videtur abesse. Reprehendunt quod verba, aut a prisco sensu detorqueat, aut nova fingat : sed jus et libertatem comicis concessam usurpat; quod ejus oratio currere potius quam incedere, volare potius quam currere videatur : sed, ni fallor, id ipsum laudi huic vertendum erat : quid enim dulcius et jucundius quam sermonis celeritas, quid molestius et odiosius quam tarditas et lentitudo?

Jam vero atticus-ne fuit Lucianus? Si verba singula consideres, neque fuit neque voluit esse, ut ex ipsius scriptis satis manifesto patet; si perpetuam orationem, non etiam

(1) Erasmi sunt verba qui in laudando Luciano Lucianum felicissime æmulatur (Epis., lib. 29, Ep. 5).

(2) De Lysia judic., 8.

(3) Instit. Orat, IX, 3, 102.

fuit, meo quidem judicio, namque id multi doctissimique homines concedere gravarentur. Sed, ut virtutibus, ita vitiis atticorum caret. Nam ne attici quidem omnino perfecte dicere mihi videntur. Lysiæ simplicem elegantiam amo, μονοτονίαν respuo; Isocratis numerosam orationem probo, vulgares sententias, multum in nugis impensum laborem, tarditatem odi; Platonis sublimitatem et magniloquentiam miror, subtilitatem consuetudinemque illam qua per minutas, tortuosas, spinosasque quæstiunculas quasi per quemdam inextricabilem labyrinthum lectores circumagit, et sæpe irritos (iratos dicere possem, si illius instar de verbis jocari vellem) eodem unde profecti erant, reducit, neque laudare neque etiam æquo animo tolerare possum. Aristophane nemo venustior: nemo autem obscenior; Thucidide nemo densior et pressior, sed in obscuritatem sæpe et quamdam sermonis tristitiam incidit. Demosthene nemo vehementior: sed non nunquam ejus oratio duriuscula videri potest. Nolim quidem his omnibus summis viris Lucianum præferre, vix etiam Demostheni audeo comparare; sed tamen Lysia copiosiorem, magis varium, Isocrate facetiorem et incitatiorem, Platone breviorem et minus subtilem, Thucydide clariorem et lætiorem, Aristophane plerumque castiorem, Demosthene molliorem esse affirmare non dubito. Ne attice ergo, dum bene, dicat Lucianus, dum sententiarum perspicuitate lectori semper satisfaciat, gravitate doceat, hilaritate recreet, celeritate rapiat, varietate et jucunditate delectet; ne inter atticos, dum inter optimos scriptores annumeretur : annumerabitur autem, si quidem vere dixit Horatius :

Omne tulit punctum qui miscuit utile dulci.

Cæterum, utcumque de illo judicetur, gallicis saltem lec-

toribus unus omnium, qui græce scripserunt, maxime semper et placuit, et, nisi fallor, placebit : neque solum quod tristia severaque argumenta hilaritate quadam et jucunditate conspersit, oratoriam majestatem levitatibus comicis temperavit; quibus quantum delectemur, quis nescit? neque quod res ex intima philosophia repetitas clarissime explicat, et perspicuitate in dicendo eminet : qua nullam aliam virtutem aut avidius ab aliis postulamus aut studiosius ipsi sectamur; sed quod nunquam oblitus se veritatis amorem, mendacii odium professum esse, improbis qui probitatis personam ferunt, speciosam pellem detrahit, et, nudata turpitudine, æternam infamiæ notam inurit, quod præstigiatorum dolos qui vulgo fucum faciunt et e credulitate publica vivunt, denique quod omnem fallaciam, omnem simulationem insectatur. Hoc enim vitium nullus populus fortasse tam infense, quam Galli, execratur, nusquam gentium tam cito quam apud nos, tam diu, tam ridicule, tam acriter scriptores exagitaverunt. Nihil ergo mirum si incredibili quodam erga Lucianum amore incendimur, cum nostræ naturæ, ingenio et studiis tantum congruat, et sæpe eum legentes non peregrinum, sed vernaculum, non græcum, sed gallicum scriptorem nobis legere videamur.

**Vidi ac perlegi,**

Lutetiæ Parisiorum, in Sorbona, a. d. VI, non. maii ann. MDCCCLXV,
Facultatis Litterarum in Academia Parisiensi decanus,

**J. Vict. LE CLERC.**

Typis mandetur
Academiæ Parisiensis Rector

A. MOURIER.

FINIS.

# ERRATA.

| Pag. | Lin. | |
|---|---|---|
| 1 | 11 | Lycæo, *lege :* Lyceo. |
| 4 | 28 | ὤν, *lege :* ὢν. |
| 5 | 22 | irrevecundus, *lege :* inverecundus. |
| 7 | 27 | (et passim) Meineck., *lege :* Meinek. |
| 11 | 4 | disperit, *lege :* deperit. |
| 14 | 25 | n, *lege :* in. |
| 22 | 25 | respublicas, *lege :* res publicas. |
| 26 | 2 | eos, *lege :* eas. |
| » | 14 | personas, *adde* sibi. |
| 29 | 1 | mulieres, *dele* virgulam. |
| » | 2 | reges, *adde:* pannis miserabiliter indutos, heroas muliebriter ejulantes. |
| » | 10 | σιγματισμόν, *lege :* σιγματισμοῦ. |
| 30 | 17 | *dele* ipsos. |
| 31 | 12 | ἐπιτραγωδεῖν, *lege :* ἐπιτραγῳδεῖν. |
| » | 13 | ἀτραγώδητον, *lege :* ἀτραγῴδητον. |
| 38 | 21 | morum — torrens, *adde* quam. |
| 43 | 9 | *dele* illis. |
| » | 16 | Thyaneum, *lege :* Tyaneum. |
| 44 | 27 | Tarantini, *lege :* Tarentini. |
| 45 | 1 | etum, *lege :* tum. |
| 48 | 5 | manifeste, *lege :* manifesto. |
| » | 18 | *dele* ipse. |
| » | 24 | omnes, *lege :* unus. |
| 57 | 14 | verius, *adde* hoc. |
| 61 | 18 | ab simili, *lege :* absimili. |
| » | 27 | Lucianum, *adde :* habere. |
| » | 29 | omni, *lege :* ab omni. |
| 67 | 17 | ἔστι, *lege :* ἐστι. |
| 69 | 27 | compararit, *lege :* comparari. |
| 72 | 20 | habitu, *dele* virgulam. |
| » | 31 | 31, *lege :* 29-31. |
| 73 | 5 | consultatibus, *lege :* consultantibus. |
| » | 16 | pellibus, *lege :* pedibus. |
| 75 | 2 | opimam, *dele* virgulam. |
| 83 | 23 | ἐμφανώτατα, *lege :* φανώτατα. |

# INDEX.



FINIS INDICIS.

Rhedonibus, ex typis Car. Oberthur.